A tare dicebat, ne inſolens verbum excideret, quod populum piaſve aures lædere poſſet, aut ſuæ etiam voluntati contrarium eſſet. Non ignoravit ſanè vir prudentiſſimus, ac eloquentiſſimus, quàm labilis lubricaque ſit lingua, quæ ſæpenumerò limites ſuos egreſſa, in multa rerum pericula hominem etiam nolentem rapit, ac in mortem quoque aliquando præcipitat. *Ælian. l.4. de var. hiſt.*

THEOCRITUS Chius, cum veniret Byzantium, & verborum prodigos homines inveniret: Rectè (inquit) de vobis dicitur, quòd in ore omnis vobis ſuppellex eſt, & unicum domicilium. *Stob.* Idem, Anaximene dicturo, ita præfatus eſt, Incipit verborum flumen, mentis gutta: ſignificans, habere multum eloquentiæ, ſapientiæ parum. *Stob. ſerm.34.*

CRATES videns adoleſcentulum ſecretò ambulantem, interrogavit, quid illic ſolus faceret? Mecum, inquit, loquor. Cui Crates, Cave, inquit, rogo, & diligenter attende, ne cum homine malo loquaris. *Sen. epiſt.* 10.

XENOCRATES, quum maledico ſermoni quorundam ſummo ſilentio intereſſet, uno ex iis quærente: Cur ſolus linguam ſuam cohiberet? Quia dixiſſe me aliquando pœnituit,
B tacuiſſe nunquam. *Laert. Stob.*

ARISTOTELES, Garrulus quidam, ubi multa nugatus apud Ariſtotelem, tandem dixit: Fortaſſis obſtrepo tibi nugis meis: Non herclè, inquit, neque adverti animum. *Laert. l.5.c.1.* Idem Calliſthenem adoleſcentem coram Alexandro multa incidenter & liberiùs loquentem, Homerico carmine caſtigavit, dicens:

Talia ſi loqueris, non multo tempore vives. *Laert. l.5.c.1.*

SOLON, cuidam dicenti, illum ideò non loqui, quia inſanus eſſet: Nullus, inquit, ſtultus tacere poteſt: Nimia enim loquacitate ſtultitia hominum proditur. *Bruſ. l.3.c.25.*

THEOPHRASTUS, ad quendam, qui in convivio perpetuò ſilebat: Si indoctus & imprudens es, inquit, prudenter facis; ſin doctus, imprudenter. Sic refert *Laert. l.5.c.2.* Sed Plutarchus hunc in modum dixiſſe ſcribit: Si ſtultus es, rem facis ſapientem; ſin ſapiens, ſtultam: Eſt enim non minima ſapientiæ pars, tegere ſilentio ſtultitiam. Idem dicebat, potius eſſe ſidendum effreni equo, quàm verbo incompoſito. Nemo non metuit inſidere equo infreni, at plus eſt periculi à lingua effreni. *Laert. l.5.c.2.*

C DEMOSTHENES ſciſcitatus, quæ cauſa eſſet unius tantùm linguæ, & geminarum aurium? Quoniam, reſpondit, duplo magis audire homini expedit, quàm loqui. *Idem.*

Peculiaris erat Lacedæmoniis verborum paucitas, unde & ab ea regione breviloquentia Laconiſmus dicitur. Quum igitur Abderitarum legatus apud Agidem multa locutus, vix tandem dicendi finem feciſſet, rogaretque, quid civibus ſuis eſſet renunciaturus? Agis, Illud (inquit) renuntia, quantum temporis tibi fuerit opus ad dicendum, tantum me ſilentem audiſſe. Hoc dicto exprobravit ſtolido oratori inanem loquacitatem reſponſo indignam. *Plut. in Lac. Apoph.*

Lacones Cteſiphontem ejecerunt, qui ſe profitebatur de re quavis totum diem poſſe dicere, dicentes: Boni oratoris eſſe, ſermonem habere rebus parem. Nulla in re juſtiùs putarunt adhibendam frugalitatem, quàm in oratione, quam Heſiodus non aliter quàm pretioſum theſaurum, parciſſimè cenſet eſſe depromendam ad uſum, non ad oſtentationem. *Plut. in Lac. Apoph.*

LABOTUS, cuidam apud ipſum prolixiore utenti ſermone: Quid mihi, inquit, de re puſilla, longa texis prooemia? Quanta res eſt, tantam oportet & orationem eſſe, qua
D uteris. Eſt hoc omnibus Spartanis peculiare, offendi ſermone cauſam, quàm poſtulat longiore; adeò nuſquam non placeat frugalitas. Nam ad cauſam non magnam adhibere ſupervacuam verborum copiam, luxuriæ genus eſt. *Idem.*

Lacon quidam, cum in luſcinia plumis revulſis minimum reperiſſet carnium: Vox, inquit, tu es, prætereà nihil. In eos dici poteſt, qui præter garrulam linguam ac magnifica verba nihil habent. *Idem.*

Quidam interrogatus de re quapiam, reſpondit: Non. Verùm ubi percontator dixiſſet illum mentiri: Non vides igitur, inquit Lacon, te ſtultum eſſe, qui ſciſciteris de his quæ noveris? Salsè taxavit in illo vitium garrulitatis, qui de nihilo quæſierit fabulandi materiam. *Plut. in Lac.*

CHARILLUS interroganti, quam ob cauſam Lycurg. tam paucas leges tuliſſet Lacedæmoniis? Quoniam, inquit, pauca loquentibus, paucis etiam legibus eſt opus. Senſit nimirùm, pleraque mala ex multiloquio naſci. *Plut. in Lac. qui eundem in Lycurgo Churrilaum vocat.*

Venerunt ad Cleomenem Samiorum oratores hortaturi, ut cum Polycrate tyranno bellum ſuſciperet. Id cum feciſ- E ſent oratione plus æquo prolixa, reſpondit in hunc modum: Quæ primo loco dixiſtis, non memini, & ob id ne media quidem intelligo; quæ verò dixiſtis omnium poſtrema, non probo. Admonet, multiloquium non ſolùm moleſtum eſſe auditori, verùm etiam ad perſuadendum inutile, præſertim apud principes, tum variis curis occupatos, tum auribus faſtidioſis. *Plut. in Lac. apoph.*

Sophiſta quodam de fortitudine multa diſſerente, riſit Cleomenes. At ſophiſtæ dicenti: Quid rides Cleomene, audiens de fortitudine diſſerentem, præſertim quum ſis rex? Quoniam, inquit, ò amice, ſi hirundo de fortitudine loqueretur, idem facerem, quod nunc facio: ſin alia, magno ſilentio auſcultarem. Viſum eſt ineptum, quemquam de fortitudine magnificis uti verbis, qui ipſe nihil fortiter geſſiſſet unquam, nec aliud poſſet, quàm in hirundinis morem garrire. *Idem.*

DEMADES tibiis Athenienſes comparare ſolebat, ex quibus ſi linguam detrahas, reliquum inutile erit. *Max. ſerm. 60. Stob. ſerm.2. de imprud.*

AGIS, cùm ſophiſta quiſpiam apud Agidem dixiſſet, ora- F tionem eſſe rerum omnium præſtantiſſimam, videlicet prædicans artem, quam profitebatur: Ergo, inquit Agis, tu cum taces, nullius es pretii. Significans, multo præclarius eſſe, magnificas res gerere, quàm habere linguam ad magnificè loquendum expeditam. *Plut. in Lac. Apopht.*

ANAXANDRIDAS, cùm Ephoris opportuna quidem, ſed pluribus quàm par erat, quidam loqueretur: Anaxandridas, Hoſpes, inquit, re neceſſaria in non neceſſario uteris. Significans, quod per ſe rectum eſt & utile, non egere prolixa oratione: quòd ipſa cauſæ bonitas facilè ſeipſam commendet. Quòd ſi uſquam locus eſt loquacitati, eam oportet ad inhoneſtas cauſas adhibere. *Plut. in Lac.*

AGESILAUS, cum rhetorem eo nomine apud Ageſilaum Lacedæmoniorum Regem laudaſſet quidam, quòd res ſpecie exiguas magno verborum ornatu amplificare poſſet: Ego, inquit rex, ne ſutorem quidem arbitror bonum, qui parvo pedi magnos calceos induat. Quo innuit, inanem loquacitatem nullibi probandam eſſe. *Idem.*

Tradit *Plinius*, Linguæ inditas à natura binas venas, quarum una cor, altera cerebrum verſus vergeret; quo ſignifi- G catum voluit, inquit, natura, linguam à corde non debere diſſidere: neque aliter loquendum, quàm ſentias; quod faciunt illi, qui loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum.

ANTIPATER de Demade jam grandævo dicere conſueverat, Demadi, ut immolatæ victimæ, nihil ſupereſſe præter linguam & ventrem. Nam venter ex hoſtia abjiciebatur, & lingua dabatur præconi. Ita ſenex orator tantùm loquebatur. Loquacitas enim creſcit cum ætate. Tradunt autem, Demadem luxui & gulæ fuiſſe deditum, unde & Phocionis reprehendit frugalitatem. *Plut. in Apopht. & in Phocione.*

ALEX. epiſtolam à matre miſſam, quæ occultas accuſationes & calumnias in Antipatrum concinebat, legens, Epheſtionem quidem amicum ſimul, uti conſueverat, eandem legere paſſus eſt, ſed ea lecta, annulum ipſe digito detraxit, & ori illius ſigillum, veluti reticentiæ ſymbolum, impreſſit, dicens: Contine hæc, & ne quid eorum effutias. *Plin. in Alex.* Idem cùm ſilentium ſuorum maximoperè probaret: Quiſquis, inquit, ſecretò commiſſum divulgaverit, is certè aut nimiùm immodeſtus, & ſiquidem lucri ſtudio id ege- H rit, improbus rectè dicitur: aut ſi nulla ſpe quæſtus illicitus, æquè profectò iniquus eſt. *Stob.*

Venerat ex Helleſponto ad Gnathænam Amator quidam ejus fama & nomine permotus. Cum itaque inter pocula plurima effutiret, & importunus eſſe videretur, reſpondens Gnathæna: Nunquid, inquit, te ex Helleſponto venire dixiſti? Cumque annuiſſet: Cur, igitur, inquit, primariam inibi civitatem ignoras? Qui cum diceret, Quænam tandem eſt illa? Sigeum, reſpondit: Atque ita artificioſè hoc nomine futilem ejus loquacitatem coercuit: σιγὴ enim ſilentium, & taciturnitas apud Græcos appellatur. *Ælian. l.2. de var. hiſt.*

M. CATO Lucroni cuidam ambienti inter Catonis familiares recipi, negavit, dicens: Se cum eo non poſſe vivere, qui plus ſaperet palato, quàm corde. *Eraſ. l.5. Apopht.* Idem dicere ſolebat, eum nequaquam tacere poſſe, quem morbus loquendi teneret. Ea enim eſt linquæ licentia, ut ſemel limites ſuos egreſſa, vix intra ſepta contineri poſſit. *Bruſon. l.3. c.25.*

Rho-

A RHODIUS quidam, miniſtro Romani Imp. multa vociferanti ferociter: Non curo, inquit, quid tu dicas, ſed quid ille taceat. Loquacitas caret effectu, taciturnitas habet certiora conſilia. *Plut.*

POMPEJUS, impatiens Tullianæ dicacitatis, inter amicos dicere ſolebat: Cupio, ad hoſtes tranſeat Cicero, ut nos timeat: Notans illius ingenium, quo dicitur hoſtibus fuiſſe ſupplex, in amicos contumax. Hoc Pompeji dictum ita refert Quintilianus: Tranſi ad Cæſarem, & me timebis.

ALPHONSUS, homines quos vanis ſermonibus impleri, & penè diſtendi intueretur, modò utres, modò veſicas vocitabat. Quemadmodum enim utres & veſicæ infuſis humoribus extenduntur, & tumeſcunt, donec humorem infuſum reſpuant: ſic homo loquaculus inflatur, donec audita garriendo effutiat. *Panorm. l.4.*

LOQUACULUS quidam Hieronymum Carbonem, ſuaviſſimi ingenii virum, obtundebat, atque cum ingentem jam verborum cumulum congeſſiſſet, petebat ſibi ab eo ad ſingula reſponderi. Verùm cum ille ſiluiſſet diu, converſus tandem ad aſtantes, Magnum, inquit, ranarum proven-
B tum attulit. *Pontanus.*

ENNIUS Senenſis in Petrum de monte Licino, non incelebrem aſtronomum, podagra laborantem, incidit; atque ab eo, dum alteram poſt alteram fabulam recitaſſet, diu retentus, cùm tranſeuntem notum quemdam vidiſſet: Age, inquit, ò amice, auſculta hunc podagricum: Nam aures meæ audiendo ambæ obtuſæ ſunt. Notavit autem hominis vanam & nimiùm moleſtam loquacitatem. *Æn. Syl. l.3. de reb. geſt. Alph.*

ÆNEAS Sylvius dicere ſolebat, Sapientius eſſe agere, quàm fari. Nunquam enim, niſi cùm neceſſitas poſtulat, ſapiens loquitur; neque vana, ſed ponderoſa profert. Stulto autem nullum eſt tempus ſermone clauſum: facilèque verba jactitat, qui ſine conſideratione profatur. *Sylv. l.1. Comment. de reb. geſt. Alphonſi.*

---

* Linteum. Linum.

DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

LInteum vulgò accipitur pro ſindone aut ſudario, quo ad extergendum utimur, Græcis ὀθόνη, ſive pro panno lineo. Unde & vela dicuntur lintea, item illa quæ in ſcenis ex-
C tenduntur, ut umbraculum præbeant ſpectatoribus: ſic legimus Cæſarem totum forum linteis adumbraſſe. Venit autem à Lino herba notiſſima, quæ cannabis in modum, in lanæ mollitiem contuſa, netur, cujus feraciſſima eſt Ægyptus, Gallia, & Flandria. Dicitur autem Linum quaſi λεῖον, lene & æquabile, & lata ſignificatione ſumitur pro omni illo, quod ad textrinam adhibetur. Quot verò Lini ſpecies, tot Linteorum differentiæ numerantur, prout ſtatim dicemus.

LINI, ET LINTEORUM SPECIES.

Albeſtino Lino principatum tribuit *Plin.* eò quòd igne non abſumatur: & mappæ ex illo textæ, magis ſplendentes redduntur accenſæ ſordibus exuſtis, quàm lotæ: olim ex illo Regum tunicæ favillam corporis à reliquo cinere ſeparabant. Hoc autem Linum non ex herba, ſed lapide Amiantho, cujus ferax eſt Cyprus, confectum ferunt, qui malleis contuſus, excuſſa terrea ſuperfluitate, capillamentis ſuis lini ſpeciem præ ſe fert, atque in telam texitur: hinc vela quæ ignibus injecta ardent quidem, ſed flammis ſplendidiora exeunt, teſte *Dioſcor. l.5. c.113.* Atque hoc uſum Athenis Callimachum, in aurea quam fecit lucerna, quæ diu-
D tiſſimè ardebat, oleo non niſi poſt annum diſſipato, exiſtimant; ſcribit de illa *Pauſan. in Atticis.* Gigni autem in Caryſtia rupe, *Plin.* tradit.

Proximus honos Lino Byſſino tribuitur, mulierum deliciis, in Achaja naſcenti: byſſum autem in arbore naſci, trunco populum, foliis ſalicem referente, ſcribit *Philoſtr. in Apollonio.*

Eſt & Linum Xylinum, è frutice quem goſſipion aut xylon vocant, oriturque in ſuperiori parte Ægypti, atque ex ejus interiore bombyce lanugo netur, è qua lintea fiunt.

Amorgis etiam lini ſpecies eſt, *Suida* λινοκαλάμη. Unde amorgina, tenuiſſima lina ſunt antiquis memorata, ut omittam lina è paluſtri arundine, cannabi, geniſta, & palmæ foliis parari ſolita.

Linum vulgare & propriè dictum Ægyptus copioſè ſerit. Item Europæi paſſim ex eo telam conficiunt. Hiſpania citerior habet ſplendorem lini præcipuum, torrentis in quo politur natura, qui alluit Tarraconem.

Induſtria hominum etiam hìc ſe exercuit, quando in linteis imagines intexuit, & formas rerum impreſſit. *Lamprid. in Heliogabalo* vocat picta mantilia, illa quæ in menſam mit- E tebat Imperator, his edulis picta quæ apponerentur. Excellunt in hoc genere texturæ Corracenſes in Flandria, ut qui nuper Sereniſſimis Principibus ſuis Alberto & Iſabellæ mappas & mantilia ad ſtuporem affrè imaginibus inſignita, ut vel exquiſitam picturam, ſummaque arte deducta lineamenta referrent, donarunt, neque parvi muneris loco eadem à benignis Principibus acciperentur.

Lis. Litigium.

* DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

LIs, ſive litigium, Græcè ἔρις, deducitur à verbo Limes, juxta quoſdam, quòd primæ lites fuerint ob limites. Hebraicè *Meribah*, id eſt contentio coram Judicibus. Definitur autem, Vitium affabilitati oppoſitum, quod conſiſtit in hoc, quòd quis pronus ſit ad contradicendum, ſitque in moribus difficilis, neque ſe velit aliis accommodare. Vocat tales *Ariſt.* ἐριστικοὺς, hoc eſt contentioſos, & pugnaces in verbis. Nihil autem bono viro & quieto magis convenire *Cic.* pronunciavit, quàm abeſſe à litibus & F civilibus controverſiis. *Ad Attic.*

Litis inſtrumentum vocat *Quintil.* ipſa acta quæ producuntur à litigantibus. Et ita penè uſus obtinuit, ut litem appellemus controverſiam, ſive acrem diſceptationem, quam coram Judice aliqui ſuſtinent, certis formulis inſtructam, ut per eum decidatur.

Differt autem à jurgio, quòd hoc juxta *Cic. de Republ.* ſit bonorum, & vicinorum, amicorumve concertatio, quomodo in ſacris literis Abraham: Non ſit quæſo jurgium, dicebat ad Loth generum, inter me & te; fratres enim ſumus. Contentio verò inimicorum, litis nomine appelletur.

Differunt tamen lites quæ verbis peraguntur, ab iis quæ ſcriptis & productione actorum, cùm hæ ſint judiciales.

ORIGO. LIMITUM CIRCUMSCRIPTIO.

Lites primùm inter homines à limitibus exortas, ſuadet recepta vocis notatio apud Grammaticos, & inſinuat hiſtoria ſacra Geneſeos. Nam peracto diluvio, poſtquam tres filii Noe in varias mundi partes tanquam ſemen diſperſi fuerunt, & illuſtrium gentium capita effecti, poſteros reliquerunt, qui ſenſim in familias, & gentes, & nationes va- G rias fuerunt diviſi, juxta *c.10. Gen.* ubi LV. linguæ & Gentes (alii LXXII. numerant) diſtinguuntur, à quibus nunc illa mundi plaga ad habitandum electa eſt, ſic ut per inferius ac ſuperius heimiphærium mundi fuerint diſperſæ, & in formam Reipublicæ redactæ, Principes ſibi & Magiſtratus creaverint, legeſque & ſtatuta decreverint, pomæria terminoſque conſtituerint. Conſtat enim, ſtatim poſt diluvium, Nemrod velut principem fuiſſe ædificantium turrim Babel. Ac paulò poſt ædificatas civitates, colligitur ex *c.12.* ubi fit mentio Sichem, Bethel, Hai. Item Pharaonis Ægyptii. *Cap. vero* 13. memoratur, quòd cùm Abraham, unà cum Loth, qui frater erat Saræ uxoris ipſius, pergeret, & uterque eſſet opulentus, communiter habitare nequiverint, factaque ſit rixa inter paſtores gregum ipſorum; dum ſcilicet quiſque meliora paſcua ſuis gregibus determinat, ſibique limites paſcendorum gregum deſignat.

Prætereà capite inſequenti deſcribuntur bella quæ Amrad Rex Babylonis tertius à Nemrod I. illius rege, cum aliquot aliis geſſit adverſus Pentapolitas, ut olim à ſe ſubjugatos & rebelles, rurſus ſub jugum mitteret; & ita conſequenter re- H periuntur omnia bella, & lites plerumque ab hoc fonte, limitum extenſione videlicet, aut circumſcriptione, exortas jam olim fuiſſe, & etiam hodie excitari, ut latiùs in loco *de bello* dicitur.

LEGUM MULTIPLICATIO.

PLATO veriſſimè ſcripſit, Ὅτι παρ' οἷς πλεῖστοι νόμοι, καὶ δίκαι παρὰ τούτοις, βίοι μοχθηροί. Quòd ubi plurimæ leges, ibi & lites, itemque mores improbi. Certè primùm apud Romanos leges pauciſſimæ: additæ decemvirales. A Juſtiniano plurimæ latæ ſunt. Lotharius ſuas adjecit, in ſemen & fomitem litium.

Maxima Europæ pars circa illas ludit. Sunt qui inſtruunt, judicant, agunt, & qui omnium miſerrimi eas habent. Neque enim tam clara cauſa eſt, in qua non tenebræ finguntur ab aliqua lege, interpretatione, decreto. Ars jam facta paſſim Cauſſidicina, cui plerumque improbitas adhæret; excipio tamen eos qui ex dignitate & veritate jus habent; cædes, rapinæ, contentiones. *Plato* iterùm de iiſdem *l.5. de Legib.* Non fuerint concordes unquam, aut amantes

A tes invicem cives, ubi mutuæ multæ lites judiciales ſunt : ἀλλ' ὅπω ὅτι σμικρόταται ϗ ὀλίγιςαι. Sed ubi eæ breviſſimæ & pauciſſimæ. Nunc in annos & ævum lis pertrahitur, involucris legum, & ſordibus advocantium. ☞ *Vide locum de Advocatis & Cauſſidicis*, ubi refertur, Ludovicum XII. Fr. Regem eos ſutoribus alutam dentibus protrahentibus contuliſſe. *Ex Annal. Franciæ.*

LITIUM FUGA, ODIUM, POENA.

CHILON, ejus tria præcepta aureis literis Delphis conſecrata ſunt: Noſce teipſum: Ne nimiùm cupias: Æris alieni atque litis miſeriam fac effugias. *Bruſ. l.3. c.7. ex Stob.*

ZENON, cum cæteris virtutis admiratoribus fortiter pronunciavit, non oportere malos viros cum probis contendere, cùm diceret: An non plorabit malus, ſi bono averſabitur? Ergo nullum jus ſinit malum probo contradicere. *Philo Jud. lib. Quòd omnis probus ſit liber.*

ABRAHAMO Ortelio, viro integerrimo, Coſmographo peritiſſimo, vita defuncto, & Antverpiæ in patria tumulato, adſcripſit Epitaphii mnemoſynon Juſtus Lypſius: atque in-
B ter alia eum commendat, quòd vitam habuerit, quale alii votum, nempè ſine uxore, lite, prole.

Auſon. 2. Edyll. Patrem ſuum ita inducit loquentem:

Litibus abſtinui, non auxi, non minui rem:
Judice me nullus, ſed neque teſte perit.

☞ *Vide Clementia. Tit. Clementiæ conſervatio, quæ ſpectatur infrà, & vindicta.*

Inter illos qui lites minuere voluerunt, Carolus IX. in Gallia nuper fuit. Is prurigini ſiſtendæ vectigal judiciarium excogitavit, ut quicunque litem ordiretur, deponeret & dependeret in fiſcum regium duos aureos, recipiendos, ſi jure litigaſſe judicatus eſſet: ſi aliter, amittendos. Sed non diuturnum id fuit, & leve etiam remedium in grandia, & vetera mala.

Severius, & fortaſſis utilius illud Jacobi Aragonum Regis, qui litibus & litigioſis ſemper infenſum ſe præbuit: & ex iis Semenum Radam, inſignem & primarium ea ætate Juriſconſultum, quòd ejus argutia aut malitia multi ſe afflictos quererentur, Prævaricatoris lege poſtulatum, regni finibus ejecit.

C His addi debet Turcicus, ſive Mahometanus Judiciorum Litiumve finiendarum modus, & in iis brevitas. Qui alium in jus vocat, ne lictorem quidem aut publicum apparitorem adhibet ad vadandum: ſed ipſe adverſarium adit, & coram teſtibus ad Dei juſtitiam (ſic loquuntur) vocat. Hic nec verbo refragari auſit, ſed ſtatim unà ad Judicem, ſive Cadium ſuum eunt. Ille autem ſemper paratus, totum diem ante ædes ſub tecto aliquo ſedet, & copiam ſui facit. Iſti, nullo advocato aut cauſidico, quiſque rem ſuam narrat: teſtes, ſi eos habent, adhibent: Judex, ibidem re penſitata, in hanc aut illam partem decidit. Quod poſteà aliud alleges aut approbes, nihil eſt: arbor ea cecidit, relevari aut erigi ultra non poteſt. Quid? inquies, non interdictum Judices improbè, aut improbi? credo eſſe: ſed in rebus humanis nihil ſinceri eſt, & eligenda quæ minùs noxæ habent. *Lipſius in Exemp. polit. c.10.*

LITIGARE.

D ☞ *Vide in loco de Humanitate, Moroſitate, Tit. Ingrata facere, ut ſunt Rixari, Contendere, &c.*

LITIGANTIUM SCHEMA.

Quo illorum origo, progreſſus, adminicula & exitus repræſentantur, litiumque abuſus indicatur.

Prodiit ante paucos annos, ingenio & delineatione Philippi Gallæi Inciſoris Antverpienſis, abuſus litium vario ſchemate expreſſus, & octo tabulis repræſentatus. Prima quidem infert Meum & Tuum, frigidum illud verbum, ait *Chryſ. tom.2. orat. de S. Philogonio*, quæ Dei timorem, & concordiam expellunt. Altera mercatorem refert, cui fraus, fallacia, & imperitus ſcriba, lites quavis occaſione ſuadent. Quas in tertia tabula cæca cupiditas, & obſcura teſtamenta, adjuncta opinionis obſtinatione, promovent & inſtaurant. Ex hinc impudentiam, tolerantiam, & divitiarum copiam, quibus inſtructos convenit litigantes, dum ad cauſidicinam properant, quarta exprimit. At quinta æris & fundi diſpendia proponit, quæ univerſim in lites E abſumuntur, præter temporis, reique familiaris & ſalutis propriæ jacturam: præſertim cùm lis una velut infinitas procreet incidentiales, dum utrimque animi incaluere, & nundinas ſuas cauſſidici ſtudent quavis tandem improbitate promovere, juxta illud Apoſtoli, Qui ſic invicem mordetis, videte, ne ab invicem conſummemini. *Ad Gal. 5.* Quo fit, ut inquietus Litigator noctes inſomnes ducat, dieſque illius ærumnis pleni ſint, curæque eum comitentur; quod ſexta tabula indicatur. Septima triumphum bonæ cauſæ agit, inter Cauſſidicorum calamos velut haſtas impulſæ, at apud æquos judices abſque perſonę intuitu æqua Juſtitiæ lance ponderatæ. Unde iniqui litigantis ſolicita expectatio finem habet, ut quem animi rancore plerunque functum, paupertas & mali conſcia mens perpetuis ignibus addicunt; quod poſtrema denique ſpectandum profert, & cavendum docet.

PIUS II. Pontifex ita jocari ſolebat, ut litigantes diceret aves, forum aream, judicium rete, aucupes verò patronos. *Platina in vita.*

☞ *Lites ortæ ex leviſſimis cauſis. Pete ex Loco de Fratribus, & Fratricidio. Item ex loco de Bello pleraque.* F

NON LITIGANDUM CUM POTENTIORIBUS.

DION in dialogo Philippi & Alexandri ait, Philippum ad Alexandrum dixiſſe: Atqui poetas bonos, ac graves rerum ſcriptores offendere non debemus, quòd nobis dicendi, quæ volunt, facultatem habent. Non omnem, inquit Alexander: nam Steſichoro, quòd de Helena mentiretur, non fuit utile. *Bruſ. l.4. c.4.*

Quum Alexand. ab Athenienſib. poſceret ſibi triremes exhiberi, ac populus nominatim flagitaret adeſſe Phocionem, ut quid conſuleret, proferret: ſurgens, inquit, Conſulo igitur, ut armis ſuperetis eos, aut ſuperantium amici ſitis. Compendio ſuaſit, nihil Alexandro negandum, niſi confiderent ſe iratum poſſe armis opprimere. Quibus ſi ille videretur ſuperior, non eſſe provocandum animoſum juvenem, & repulſæ impatientiſſimum. *Plut. in Apoph.*

CN. POMPEJUM à victoria reverſum, Sylla cum aliis honoribus excepit, tum Magni cognomen ipſe primus illi de- G tulit. At cùm Pompejus his non contentus, vellet triumphum agere, non paſſus eſt Sylla, eò quòd nondum eſſet ordinis ſenatorii. Cæterùm quum Pompejus iis, qui aderant, dixiſſet, ignorare Syllam, quòd plures adorarent ſolem orientem, quàm occidentem, Sylla exclamavit: Triumphet. Horruit juvenis animum, & in dies creſcentem gloriam: nec dubitavit illi cedere, quem videbat nemini cedere poſſe. *Plut. in Rom. Apoph.*

Cùm Pompejus relicta Roma perfugiſſet ad mare, Metellus ærarii præfectus Cæſari volenti illinc pecunias tollere, obſtitit, & ærarium clauſit. At Cæſar illi mortem minatus eſt. Ea vox quum Metellum reddidiſſet attonitum: Hoc, inquit, ò adoleſcens, dictu mihi difficilius fuit, quàm factu. Sentiens, ſe vel nutu poſſe quem vellet occidere, quum ſecum duceret armatas cohortes. *Idem.*

SOCRATES dicebat, aut quàm rariſſimè, aut quàm graviſſimè cum proceribus conjurandum eſſe. Non ignoravit enim vir ſapientiſſimus, quàm cautè cum potentioribus agendum ſit, ne horum poteſtas nos, qui longè inferiores ſumus, opprimat. *Stob. ſerm. 1. de Prud.* H

PHAVORINUS, cùm in diſputatione quadam Hadriano Principi, cui infenſiſſimus erat, ceſſiſſet, admirantibus aliis, cur id faceret: Nonnè cedam, inquit, ei qui viginti habeat legiones? *Æl. de Var. hiſt. & Volat. l.16. Vrban. com.*

ARTAXERXES Aclydæ Japſoni multa in eum licenter dicenti reſpondit: Licere quidem illi, quæ vellet, in regem dicere: ſibi verò non licere tantùm, ſed etiam facere. *Eraſ. l.5. Apoph.*

☞ *Ob Litem intentatam crudeles. Vide Locum de Crudelitate, Tit. Crudelitas reſpectu injuriæ, §. Per Litem.*

LITIGANTIUM INJUSTORUM POENA.

Pete ex loco de Punitione, Correctione. Tit. Injuſtitiæ contractuum voluntariorum pœna juſta, §. Litigantium.

* Lita-

A

* Litaniæ.

DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

LItaniæ nomen orationem ſeriam, & ex imo corde fuſam ſignificat: eſtque de ſe nomen generale, ad omnem cordatam precationem ſeſe extendens. Uſu tamen & conſuetudine receptum, ut pro certa orationis ſpecie uſurpetur, qua cum fervore ſummaque animi devotione patrocinium Sanctorum, Deique miſericordia invocatur. Alioquin vox λιτανεύειν, ardentem orationem importat: & non ineleganter Infernus à quodam dicitur ἀλιτάνευτος, quaſi inexorabilis.

PARTITIO.

Litaniam bipartitam reperimus apud veteres Eccleſiæ Scriptores. Unam Liturgicam; ſic namque in Græcorum Liturgiis ipſum Kyrie eleiſon inſcribitur: Alteram extrà Miſſæ Officium; eaque ad Kyrie eleiſon alias preces addit, eamque in Eccleſia decantamus in Proceſſionibus, vel ex-
B tra eas. Quo fit, ut ſubinde ipſa Proceſſio Litania vocetur.

Olim verò, ut teſtis eſt *Baſil. Ep. 3. ad Neocæſareenſes*, ſi pro peccatorum remiſſione Litania inſtituebatur, ἐξομολόγησις dicebatur. Aliàs ſimplici vocabulo Litania. At prius nomen evanuit. ☞ *Vide infra de Litaniarum generibus.*

ANTIQUITAS.

Diu ante S. Gregorii tempora viguerunt in Eccl. Cathol. Litaniæ; prout teſtantur, qui ante ipſius ætatem floruerunt, S. Avitus, Sidonius Apollinaris, Felix Rom. D. Baſilius, Conc. I. Aurelianenſe.

Narrat *Hincmarus lib. de S. Remigio*, quòd cum baptizaretur Clodovæus, Litaniam fecerit S. Remigius, Sanctoſque nominatim invocaverit.

Vualfridus Strabo exiſtimat, Litaniam uſu receptam paſſim fuiſſe, poſtquam S. Hieron. concinnavit epitomen martyrologii Euſebiani. *Lib. de reb. Eccl. c.28.*

Hildebertus Turon. Ep. 43. cùm Litanias eſſe ſervandas, cuidam hæretico declararet, ait, univerſalem Eccleſiam in iis dicere conſueviſſe, Sancta Maria, Ora pro nobis. Imò
C apud *V. Bedam* ſermo eſt, in quo aſſeritur, non modò in Gregorianis, ſed & Mamertinis Litaniis proprio nomine invocatum S. Petrum.

Et fatetur hæreticus Kemnitius, olim in Litaniis Sanctos fuiſſe invocatos, quæ Arnulphi Imp. tempore in uſu erant.

Ita conſtat de Caroli M. Litaniis, quas à Tigurinis accepimus: meminerunt ejuſdem Ordo Rom. Amalarius, Albinus, & alii. Unde quotieſcumque Litaniæ nomen invenitur apud veteres, ſemper invocationem Sanctorum includi planum eſt. Quamvis ante tempora S. Hieronymi veriſimile ſit, Sanctos tanto numero adhibitos non fuiſſe, ſed excellentiores aliquot.

FORMA, ET COMPOSITIO.

Litaniam vocamus deprecationem ſeriam, qua Dei miſericordia & Sanctorum apud eum patrocinium devotè expetitur. Igitur conſtant duplici genere orationis. Una qua Deum, altera qua Sanctos nobis propitios & patronos reddere contendimus. Unde & ad utroſque diriguntur, ſolentque Divi tutelares locorum, ubi eæ perſolvuntur, ſpeciali titulo inſeri & invocari.

D Cur enim ſemper ad Eccleſias Sanctorum inſtitutæ Litaniæ, niſi ut illorum imploraretur auxilium? De Theodoſio Optimo Imp. narrat *Ruffinus*, quòd illaturus Eugenio Tyranno bellum, circuibat cum Sacerdotibus & populo omnia orationum loca. Ante Martyrum & Apoſtolorum thecas jacebat cilicio proſtratus, & auxilia ſibi fida interceſſione Sanctorum poſcebat.

☞ *Videantur pro confirmatione hujus & præcedentis §. quæ in calce hujus Loci addentur ex variis Scriptoribus.*

AUCTOR, ET USUS.

Litaniarum, ut ſonant precationes (nam & proceſſiones certas ſignificare diximus) uſum quis invenerit, incertum. Certum tamen, eas eſſe vetuſtiſſimas, & quemcumque Autorem nominaveris, vetuſtiores reputari: ut quarum antiquiſſimæ Liturgiæ meminerunt. Quin ſentiunt docti plerique, inter quos *Cornel. Janſſen. concord. c. 110.* fuiſſe receptas Hieroſolymis quaſdam velut Litanias tempore Chriſti Domini, in quibus frequentiſſimè Oſanna Hebræi repetebant.

Græca etiam Eccleſia Litanias ſuas habet, cum expreſſa Sanctorum invocatione. Imò refert *Lindanus*, Ultrajecti E in Batavia, diebus quos Rogationum appellamus, Litaniam non modò Latinè, ſed & Græcè à pueris per vicos decantari ſolitam. *Part. 2. Apol. c.54.*

Certè in Eccleſia Latina frequentior eſt earumdem uſus, prout in progreſſu hujus Argumenti, §. videlicet ſequenti, uberiùs explicabitur.

LITANIÆ INSTITUTIO
In honorem Deiparæ Virginis.

Albinus Flaccus de div. offic. apud Baron. to. 8. ann. 701. 4. cùm agit de Purificatione S. Mariæ, ſic habet: De hac feſtivitate & feſtivitatibus S. Mariæ in geſtis Pontificalibus legitur, quòd Sergius Pap. præceperit, Litanias fieri in die Præſentationis Domini in templo: ita enim ſcriptum eſt, ut in die Annunciationis Domini, Dormitionis, ac Nativitatis S. Dei Genitricis Mariæ, & S. Simeonis, quæ ὑπαντὴ Græcè vocatur, cum Litaniis exeant à S. Hadriano, & ad S. Mariam populus occurrat.

AB HÆRETICIS USURPATÆ, ET VETITÆ.

Ariani cùm extra civitatem Conſtantinopolitanam conventus facerent, feſtis cujuſque ſeptimanæ occurrentibus, F in quibus conventus in Eccleſiis fieri ſolent, illi intra portas civitatis circiter porticus, in unum congregati, cantus aptè ad opinionem Arianam reſpondentes, quos ipſi compoſuerant, alternatim canunt; hocque per majorem noctis partem faciunt. Primo diluculo tales cantilenas alternis per mediam urbem recitantes, è portis egrediuntur, & ad loca, ubi agunt conventus, contendunt. Verùm quia adverſus fidei conſubſtantialis fautores verba contumelioſa, quibus eorum animos irritarent, dicere non deſinebant (nam ſæpè hanc quaſi cantilenam in eos cecinere; Ubi ſunt hi qui tria unam dicant eſſe potentiam) Joan. Chryſoſtomus veritus, ne aliquis ex ſimplicioribus ejuſmodi cantibus ab Eccleſia abduceretur, quoſdam ex ſuo populo illis contra comparavit, qui nocturnis hymnis decantandis ſimiliter operam darent, Arianorumque in ea re ſtudium eo pacto reprimerent, denique ſuos in ipſorum fide admodùm confirmarent. At quamvis hoc Joan. inſtitutum valdè commodum videretur, tamen illius eventus tumultu atque etiam periculo non caruit. Quibus rebus Imp. Arcadius commotus, anno Domini trecenteſimo nonageſimo ſex- G to, ad Litaniam faciendam Arianis interdixit, ſtatuta videlicet condemnatione centum librarum auri, contra officium ſublimitatis ejus, ſi quid hujuſmodi fieri vel in publico, vel in privatis ædibus concedatur. *Socr. lib. c.8.*

Lutherani pro uſurpata in Eccleſiam auctoritate, Litanias Catholicorum emendare contenderunt, rejecta Invocatione SS. Trinitatis, Sanctorum, Oratione pro Rom. Pont. pro defunctis, & Pœnitentia impetranda, cùm è contrà Carolus M. fontem lachrymarum in Litania expetiverit.

Addidit verò Lutherus, in Argentinenſi Litaniarum libello, hanc imprecationem: Ut nos à blaſphemiis, libidinibus, homicidiis (omiſit autem ebrietatem & ſcurrilitatem, quas ille fervidè ſectabatur) Turcarum, & Papæ tyrannide liberare digneris. Similis deprecatio reperitur in Anglicis quibuſdam Litaniis, & precibus.

Ita Judæi bis terve de die orare ſoliti ſunt: Domine libera nos per tuum Meſſiam, à tyrannide & oppreſſione Pontificis Romani. Narrat *Florimund. Burdegal. de Antichriſto c.16.* ☞ *Vide Locum de iiſdem. Tit. Chriſtianorum odium, ſive Ingratitudo in nova Lege.* H

LITANIARUM GENERA, ET QUÆ RECEPTÆ.

Litaniæ variæ numerantur, idque ex forma earumdem, quæ non una eſt. Aliæ enim preces continent, quibus invocantur Sancti plures; & ſunt Litaniæ Sanctorum: Aliæ verò ſunt inſtitutæ pro invocando patrocinio B. Virginis, quarum uſus eſt in Æde Lauretana: & vocantur Lauretanæ. Sunt & aliæ nominis JESU: ac triplices hæ uſu paſſim receptæ. Alibi quoque ſunt Litaniæ de Vener. Sacramento.

Clemens VIII. decrevit, ne ullæ Litaniæ decantarentur, quæ non à Collegio ſacrorum Rituum Romę fuerint approbatæ.

Dux Bavariæ Guilielmus XXVII. diverſas Litaniarum formulas in unum libellum collegit, ſuæque ſorori Archiduciſſæ Auſtriæ inſcripſit, & à S. Congregatione Rituum approbatas affirmat.

Prodiere paulò ante obitum Sereniſſ. Belgarum Principis Alberti, Litaniæ perplures ad honorem & patrocinium Sanctorum

A ctorum penè omnium, quorum meminit Martyrol. Rom. idque ejuſdem Principis juſſu, ad devotionem in ſe, aliiſque hac precandi formula excitandam.

INSTITUTIONIS, & USUS LITANIARUM CAUSÆ VARIÆ.

PRO CONVERSIONE INFIDELIUM.

ADRIANUS Papa ad petitionem Caroli Magni pro converſione Saxonum Litanias fieri curavit Romæ, & in omnibus partibus ſub ditione Romanæ Eccleſiæ exiſtentibus, 23. 26. & 28. menſis Junii diebus, hoc eſt, vigilia Jo: Baptiſtæ, in Natali Sanctorum Jo: & Pauli, necnon & in vigilia B. Petri Apoſtoli: monet Carolum, ut iiſdem diebus omnibus finibus ſuis ſeu tranſmarinis partibus, ubi Chriſtiani morantur, Litanias fieri curet. Et reipſa idem Carolus, ut ſcribit *Regino l.2. Chronic.* Litanias per triduum cum toto exercitu aliquando celebravit, petens à Deo vindictam in Avares, ad fluvium Anaſſum. *In epiſt. Adrian. Pap. ad Carol. Cornel. Scultingius tom.1. Biblioth. Eccl. c.26. p.1.*

AD PATRIÆ IMMUNITATEM AB HOSTE.

B Pro Barbarorum incurſionibus in Italiam & Siciliam, bis in hebdomada fieri Litanias Gregorius Magnus decernebat: Ne illis molientibus proſperitatem multitudo noſtrorum præbeat peccatorum, lachrymis, ait, obviemus. Itaque hortor fratres, ut ad Redemptoris noſtri remedia confugiamus, ut omni hebdomade, quarta & ſexta feria, Litaniam inexcuſabiliter indicamus, & contra hos barbaricæ credulitatis incurſus, ſupernæ protectionis auxilium imploremus. *Io. Diac. l.4. vita Greg. c.53. & l.9. ep.45. apud Baron. tom.8.* 601.

PRO INFESTATIONE DÆMONUM.

In Parochia Moguntina malignus ſpiritus evidens nequitiæ ſuæ dedit indicium: nam primò jaciendo, & parietes domorum quaſi malleis pulſando, inde manifeſtè loquendo, furta etiam prodendo, diſcordias inter vicinos ſeminando homines inquietabat. Denique animos omnium contra unum hominem commovit, quaſi propter ejus peccata cæteri talia paterentur, cujus fruges in unum coacervatas incendit; qui ubicunque intraſſet, ſtatim domus illa exurebatur, ut jam ei niſi in agris locus manendi nullus eſſet.
C Propter hoc presbyteris Litanias agentibus, & benedictam aquam ſpargentibus, inimicus lapides jaciendo, multis cruentatis, tandem aliquandiu quietavit. Presbyteris recedentibus, inimicus flebiliter ululans, tandem presbyterum quendam nominatim exprimens, ſe quando aqua benedicta ſpargebatur, ſub cappa illius, quaſi familiaris ſui, latuiſſe profeſſus eſt, accuſans eum cum filia procuratoris concubuiſſe. Sic per triennium inſtitit, donec ibidem cuncta ædificia incendio conſumeret. *Chron. Sigeberti ann.* 858.

Io. Diac. ſimile refert exemplum in vita S. Gregorii Mag. ac ejuſdem hortatu, formidabile quoddam dæmonis quaſi cornuti ſpectrum, certo cuidam loco ita infeſtum, ut in eo commorari nemo auderet, Litaniis tandem abductum & expulſum fuiſſe. *Io. Diacon. l.4. de vita Greg. Mag. cap.93.*

PRO GRATIARUM ACTIONE.

Cum B. Quintianus ab hoc mundo migraſſet, S. Gallus in ejus Cathedram, Rege opitulante, ſubſtitutus eſt. Hujus tempore, cùm lues illa, quam inguinariam vocant, per
D diverſas regiones deſæviret, & maximè tunc Arelatenſem Provinciam depopularetur, S. Gallus non tantùm pro ſe, quantùm pro populo trepidus orat: cumque diu noctuque Dominum deprecaretur, ut vivens plebem ſuam vaſtari non cerneret, per viſum noctis apparuit ei Angelus Domini, qui tam cæſariem, quàm veſtem in ſimilitudine nivis candidam efferebat, & ait ad eum: Benè enim facis, ò ſacerdos, quòd ſic Dominum pro populo tuo ſupplicas: exaudita eſt enim oratio tua, & ecce eris cum populo tuo ab hac infirmitate liberatus, nulluſque te vivente in regione iſta ab hac ſtrage deperibit; nunc autem ne timeas: poſt octo verò annos time. Unde manifeſtum fuit, tranſactis his annis, eum à ſæculo diſceſſurum. Expergefactus autem, & Deo gratias pro hac conſolatione agens, quòd eum per cœleſtem nuncium confortare dignatus eſt, rogationes illas inſtituit, ut media Quadrageſima pſallendo, ad baſilicam B. Juliani Martyris itinere pedeſtri venirent. Sunt autem in hoc itinere quaſi ſtadia CCCLX. Tunc etiam in ſubita contemplatione parietes vel domorum vel eccleſiarum ſignari videbantur. Unde à ruſticis hæc ſcriptio Tau vocabatur. Cùm autem regiones alias lues illa conſumeret, ad civitatem Arvenam, E S. Galli intercedente oratione, non attigit. Unde hanc non parvam cenſeo gratiam, qui hoc meruit, ut paſtor poſitus oves ſuas devorari, defendente Domino, non videret. *Greg. Turon. l.4. hiſt. Franc. cap.5. & in vita S. Galli. Bar. tom.7.* 504.

PRO CONTAGIO AERIS.

Litaniæ majoris, quæ in Feſto B. Marci ab Eccleſia celebratur, inſtitutionem ita deſcribit *Paulus Diacon.* Montis Caſſini monachus, Longobardorum hiſtoriographus: Tempore Pelagii Papæ II. anno videlicet Chriſti 588. tanta fuit inundatio aquarum per Italiam, ut aquæ aſcenderent uſque ad feneſtras ſuperiores templi Neronis, quod Romæ erat, nec aquæ intrabant templum; tum per Tyberim affluxit multitudo ſerpentum, inter quos fuit maximus draco, è quorum flatibus aer fuit corruptus, & inde emerſit peſtis inguinaria, qua homines paſſim & ſubitò moriebantur, & cùm penè totus Romanus populus deleretur, Pelagius Pap. omnibus jejunium & proceſſionem indixit. Sed in ipſa proceſſione ipſe cum ſeptuaginta aliis exſpiravit, cui ſubſtitutus eſt Gregorius primus, qui & Magnus dictus eſt, & F hanc Litaniam ubique terrarum ſervari præcepit. Ideòque dicitur Litania Gregoriana vel Romana. Vocantur etiam cruces nigræ, quòd in ſignum mœroris ex tanta hominum ſtrage, & in ſignum pœnitentiæ, homines nigris veſtibus induerentur, cruces ipſæ & altaria nigris velarentur paramentis. Dicitur propterea proceſſio ſeptiformis, eò quòd ex ſtatuto Gregorii in ea proceſſione ſepteno ordine procederetur. Nam, ut ait *Greg. Turon. l.10. hiſt. Franc. c.1.* Clerus egrediebatur ab Eccleſia Sanctorum Martyrum Coſmæ & Damiani: Omnes verò Abbates cum Monachis ſuis, ab Eccleſia Sanctorum Martyrum Gervaſii & Protaſii, cum Presbyteris regionis quartæ: Omnes Abbatiſſæ cum congregationibus ſuis, ab Eccleſia Sanctorum Martyrum Jo: & Pauli, cum presbyteris regionis ſecundæ: Omnes verò laici, ab Eccleſia ſancti protomartyris Stephani, cum presbyteris regionis ſeptimæ: Omnes mulieres viduæ, ab Eccleſia S. Euphemiæ, cum presbyteris regionis quintæ: Omnes autem mulieres conjugatæ egrediebantur ab Eccleſia S. Clementis Martyris, cum presbyteris regionis tertiæ; ut de ſingulis Eccleſiis exeuntes, cum precibus ac lachrymis, ad B. G Mariæ ſemper Virginis genitricis Domini noſtri JESU CHRISTI baſilicam congregarentur, ut ubi diutiùs cum fletu, ac gemitu Domino ſupplicantes, peccatorum veniam promereri valerent, ſic per triduum Domini miſericordiam deprecantes. Hæc ille. *P. Diac. de geſt. Longob. l.3. cap.1. Io. Diac. l.1. vit. S. Greg. c.34. & 36. Greg. Tur. l.10. hiſt. c.1. & ex his Guil. Dur. in Rat. Bar. tom.7. ann.*589.

AD PLACANDUM DEUM.

S. AVITUS Viennenſis Epiſc. in quadam homilia, quam de Rogationibus ſcripſit, has ipſas Rogationes, quas ante Aſcenſionis Dominicæ triumphum celebramus, à Mamerto ipſius Viennenſis urbis Epiſcopo, cui & hic eo tempore præerat, inſtitutas fuiſſe refert, dum urbs illa multis terreretur prodigiis: nam terræmotu frequenter quatiebatur, ſed & cervorum atque luporum feritas portas ingreſſa, per totam urbem nihil metuens oberrabat: cumque per anni circulum gererentur, advenientibus Paſchalis ſolemnitatis diebus, expectabat miſericordiam Dei plebs tota devotè, ut vel hic magnæ ſolemnitatis dies huic terrori terminum H daret. Sed in ipſa glorioſæ noctis vigilia, dum Miſſarum celebrarentur ſolemnia, ſubitò palatium regale intramuraneum divino igne ſuccenditur, pavore omnibus perterritis, & Eccleſiam egreſſis, credentibus, ne aut hoc incendio urbs tota conſumeretur, aut certè diſrupta tellure dehiſceret: ſanctus ſacerdos proſtratus ante altare cum gemitu & lachrymis Domini miſericordiam imprecatur. Quid plura? penetravit excelſa poli oratio Pontificis inclyti, reſtinxitque domus incendium flumen profluentium lachymarum: cumque hæc agerentur, appropinquante Aſcenſione Majeſtatis Dominicæ, indixit populis jejunium, inſtituit orandi modum, edendi ſeriem, erogandi hilarem diſpenſationem. Ceſſantibus quoque exinde terroribus, per cunctas Provincias diſperſa facti fama, cunctos ſacerdotes imitari commonuit, quod ſacerdos fecit ex fide: quæ uſque nunc in Chriſti nomine per omnes Eccleſias in compunctione cordis & contritione ſpiritus celebrantur. *Greg. Tur. l.2. de geſt. Franc. c.34. Sidon. l.7. ep.1. Ado Viennenſ. æt. 6. Sigeb. ann.468. Bar. tom.6.* 475.

A RRO SEDANDO TERRÆMOTU.

THEODOSIO Imp. regnante terræmotus magnus & admirandus extitit, qui priores omnes magnitudine, celeritate, & temporis diuturnitate facilè ſuperavit: nam ad menſes ſex maximè duravit, & non ex intervallo, ſed motu continuo concuſſit omnia; idque per orbem ferè univerſum, adeò ut non ſolùm in urbe imperante turres in præceps ierint, & murus variis in locis ruptus ſit, verùm etiam circa Cherſonneſum ædificium id, quod μακρὸν τεῖχος, hoc eſt, longum murum vocant, ſimul omne conciderit, & innumerabilia ubique locorum, magnorum operum, templorumque ædificia peſſum ierint. Terræmotus iſte Alexandriam quoque attigit. Antiochiæ autem impetu vehementiore imminens, præcipua quæque ſpectacula maximè comminuit. Et innumerabiles accidere caſus, non terra tantùm, verùm etiam mari: alibi enim terra dehiſcens vicos frequentes abſorbuit; alicubi fontes non exigui ſubitò exaruere: quibuſdam in locis ubertim aqua profluxit, quæ ibi anteà eſſe ſolita non fuerat. Arbores multæ unà cum truncis
B ſuis radicitùs evulſæ. Aggeres plurimi derepentè exſilientes in montes ingentes conformati. Mare terminos ſuos tranſgreſſum, piſces ingentis magnitudinis mortuos veluti funda ejecit. Inſulæ plures unà cum incolis ſuis ſubmerſæ hodie quoque non apparent. Naves undis confertim decedentibus in arida medio mari immobiles conſiſtere viſæ. Byzantii autem in maximum conjecti metum, à ruinis ædificiorum ſibi timentes, muros reliquerunt, & extra urbem, in Campo, qui dicitur, morati ſunt, unà cum Imperatore Theodoſio, & Patriarcha Proclo continuis precibus incumbentes, Deumque, ut propitius eis eſſet, & ab imminenti calamitate orbem liberaret, obteſtantes. Et cum aliquando motu graſſante, terra veluti fluctuans concuteretur, & homines per metum eam ex fundamentis ipſis extirpatum iri vererentur, & omnes Litaniis & ſupplicationibus dediti collachrymarent, & ex profundo intimoque animo miſericordiam divinam implorarent, tum miraculum præter opinionem omnium, quod ſenſum & mentem omnem excedat, ſubſecutum eſt. Subitò namque è medio, inſpectantibus omnibus, divina quadam vi puer in aerem ſublimis ad cœleſtem uſque tractum, ita ut jam non appareret, ſu-
C blatus, divinam vocem, qua Angelis Deum laudibus ferre mos eſt, audivit: eaque voce percepta, rurſum priore per aerem via reverſus deſcendit: & Epiſcopo Proclo, ipſique Imperatori & multitudini omni ſupplicationibus operanti, Deumque hymnis celebranti, ab Angelis canentibus ſe verba hæc audiſſe renunciavit: Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miſerere noſtri. Quæ ubi Proclus intellexit, ſtatim ad eum modum populum pſallere juſſit, & terræmotus etiam ſtatim conſtitit, omninòque conquievit. Imperator porrò Theodoſius, & inter fœminas admiratione omnium digna Pulcheria, tanto miraculo perculſi, conſtitutione Imperiali confeſtim, ut per orbem omnem divinus hymnus iſte concineretur, decreverunt. Et ex eo tempore Eccleſia Chriſti eum acceptum, non quolibet tantùm die uſurpat, ſed etiam, ut ſimpliciter dicam, cujuslibet carminis & laudis Dei initio ante omnia pleno ore præmittit. Puer verborum eorum miniſterium exequutus ſtatim vita defunctus eſt, & in magna Eccleſia, quæ Pacis nomen obtinet, conditus. Locus autem, in quo ille in ſublime actus eſt, poſteà ὑψωμαθεῖον, id eſt, divina exaltatio, vocatus eſt. *Niceph. Calliſt. l.14. Eccl.*
D *hiſt. cap.46. Syn. 5. Conſtantinop. Vrſperg. Abb. in Chron. Io. Naucl. vol.2. gen.15. an. Dom.*441.

Anno ab Incarnat. Dom. 527. tempore Juſtiniani Imper. paſſa eſt Antiochia terræmotus magnos, & tempeſtates, & faciebant Litanias omnes diſcalceati, clamantes, Kyrie eleiſon. Apparuit autem in viſu cuidam Dei cultori, ut diceret omnibus, quòd ſcriberent in ſuperliminaribus ſuis, *Chriſtus nobiſcum ſtate.* Quo facto, ſtetit ira Dei. *Verſpergenſ. Abb. in Chron. ann. Domini* 527.

IN ADVERSIS.

Narrat *Sozomen. lib.4. hiſt. Eccl.* Achatium de Nicomediæ concuſſione monitum, Clericis mandaſſe, ut Deo ſeriò ſupplicarent, & preces placatorias pro ſedanda illius ira, quam minabatur, funderent. *Et lib.7. c.23.* docet, populum Antiochenum, cùm cognoviſſet Theodoſium Imperatorem, ob ſeditionem ibi motam, ira eſſe inflammatum, Deo ſupplicaſſe, ut Imperator ira mitigaretur, uſurpatis ad eam ſupplicationem melodiis lugubribus. *Sozom. lib.4. hiſt. Eccl. c.16.*

ADVERSUS TEMPESTATEM.

E Sub annum Domini 676. in Italia tantæ pluviæ & tonitrua fuerunt, quales nulla ætas hominum memorat, ut etiam homines & pecuaria fulgure interirent: & niſi per Litanias, quas quotidiè faciebant, Dominus eſſet propitiatus, non potuiſſent homines triturare, vel in horreis frumenta recondere, in tantùm ut ex ipſis pluviis denuò legumina renaſcerentur, & ad maturitatem devenirent. *Sigeb. Chron. ſub ann. Dom.* 676.

PLUVIAS.

Narrat *Nicephor. lib.14. Eccleſiaſt. hiſt. c.3.* quòd tempore Theodoſii junioris longior aliquando tempeſtas pluvialis extitit, & ipſe ſolitos Circenſes ludos populo more ſolito gratificans exhibebat. Cùm verò uberiores ita deciderent imbres, ibi tum egregiam ſuam erga Deum pietatem declaravit, per præcones populo denunciari jubens, conducibilius videlicet eſſe, ut ſpectaculo repudiato, Deum qui præſenti calamitate eos liberaret, precibus placarent. Id quod confeſtim eſt factum. Li- F tania inſtituta eſt, ſupplicantes proceſſere, laudibus Deum vexere, atque una concors Eccleſia civitas tota facta, & ipſe medius hymnis canendis præit habitu privato incedens. Minimè verò eum opinio fefellit: ſtatim enim cœlum aerem turbidum ſerenitate commutavit, & frumenti non mediocrem inopiam ingens quædam frugum copia & ubertas eſt conſecuta.

PERICULA VITÆ.

B. COLETA virgo religioſa, in omnibus rebus adverſis, in negotiis arduis, ſemper confugiendum cenſebat ad preces humiles, dicebatque, tum per ſeipſam, tum per ſorores, Litanias, quibus fidebat plurimùm, & ſingulari devotione afficiebatur. Ea enim tempeſtate, qua in Franciæ regno tot ſæviebat bellorum tumultus, ut vix quiſquam auderet extra loca munita progredi, tametſi illa pro conditione ſexus multùm meticuloſa fuiſſet, attamen conſtituit pro Dei amore & animarum ſalute per longinquas proficiſci regiones; utque id tutiùs poſſet, quotidiè audire Miſſam de Epiphania Domini. Itaque ſimul atque ingreſſa eſt iter, Litanias dicere cœpit, & Dei benignitate, San- G ctorumque qui illic invocantur, meritis evaſit pericula omnia, in quibus multa fuere ſanè horrenda. Proficiſcens enim aliquando cum multis ſororibus per regionem, cujus idioma ignorabat, ubi pervenit ad nemus quoddam latrociniis infeſtiſſimum, obviàm ei venerunt homines truculenti, arcubus & ſagittis inſtructi, qui ei & comitibus ejus inſidias ſtruebant, eaſque ſpoliare volebant: curribus enim propter itineris prolixitatem, & viarum aſperitatem vehebantur: quæ res non vulgarem apparatum præ ſe ferre videbatur. Illi ergo crudeles homines in verba prorſus barbara & inhoneſta cœpere prorumpere, ad mala omnia parati. Coleta tum compleverat Litanias, & ex Dei gratia intellexit, quid dicerent; poterat enim cum Apoſtolis quævis capere idiomata, & locuta eſt ad illos blandè, placidè atque prudenter. Illi mox ejus audita voce mutati mirabiliter, non ſolùm ei & comitibus ejus pepercerunt, ſed etiam promptos ſe obtulerunt ad eas ſecurè deducendas, quocunque vellent iter intendere. Coleta verò eis gratias egit, & ipſi ſine maleficio receſſerunt. *Steph. Iul. ejus contemporaneus, c.25. vitæ ejus apud Sur. tom.2. Martii 6.*

Eadem Coleta viſitatura aliquando monaſteria ſua, cùm ad H locum quendam periculoſum perveniſſet, ſentiens in ſpiritu ſe in diſcrimine verſari, monuit ſorores, ut Litanias promerent. Quidam verò nobilis, ſævus & immanis, ſanctæ Coletæ opera & conatus magnis viribus impedire cupiens, per miniſtros ſuos iter ejus diu explorari juſſit. Illi verò Coletam & comites ejus curaverunt illic detinendas, donec nobilis ille cum ſuis eò adveniret. Is ubi venit, evomit confeſtim è cœnoſo pectore lutulenta & turpia verba. Ei autem humiliter & religioſè Coleta reſpondet: & ecce equi malignorum hominum manſerunt immoti, nec ad currum propiùs accedere potuerunt, quamvis poſſent facilè retrocedere. *Ibid. c.26.*

MORBOS.

De morbo deſperato Litaniis ſanato hęc habet *Alb. Crantz.* Serpſit per multos lacrymabilis morbus de tumore linguarum, vindicante fortaſſe occulto judicio rerum arbitro Deo linguarum loquacium pernicioſa venena. Intumuit in ore lingua maximo dolore, nec valuere medicorum ulla remedia, donec Bertholdo in Deum reſpicere jubente, cùm Litanias & jejunia populo indiceret, plaga ceſſaret. *Alb. Crantz. lib.2. Metrop. c.8.*

A Imò verò Litaniarum libello, quem ſua ipſe manu Japonum Apoſtolus Franc. Xaver. deſcripſerat, quemque in munitiſſima viri cujuſdam Principis Hexandoni arce Chriſtianis novis abiens reliquerat, ægrotorum hominum corporibus impoſito, perplures, & in iis Hexandonus jam deſperatus, ſanitati fuerunt reſtituti. Tantùm Catholicis opera danda, ut in tam ſalutari, tamque utili comprecatione vera devotio, & quod Litaniæ vox ipſa requirit, ſtudium adhibeatur. *Ex lib.2. Epiſt. de rebus Iapon. p.*320.

APUD MORIENTES.

Nequaquam prætereundum, quod de B. Aletha D.Bernardi matre ſcribit *Guillielmus Abbas*: ea enim cùm multò tempore vixiſſet cum viro ſuo honeſtè & juſtè ſecundum juſtitias & honeſtates hujus ſeculi, & legem fidemque conjugii, quaſi vitam monaſticam æmulans, & ſic de die in diem proficiens, tandem ad extrema pervenit. Obdormivit autem pſallentibus clericis, qui convenerant, & ipſa pariter pſallens, ut in extremis quoque, cùm jam vox ejus audiri non poſſet, adhuc moveri labia viderentur, & lingua palpitans Dominum confiteri. Demùm inter Litaniæ ſupplicationes, cùm diceretur, Per paſſionem & crucem tuam, libera eam Domine: elevans manum ſignavit ſe, & emiſit ſpiritum, ita ut manum non poſſet deponere, quam levarat. *In vita S.Bernardi lib.*1.*c.*2. *Annal. Hannon. vol.*3. *cap.*55.

S.Cunegundis Imperatrix, poſtquam quindecim annos in monaſterio vixiſſet, tandem pro nimia ciborum abſtinentia, orationis & vigiliarum incredibili perſeverantia, cœpit corpore langueſcere, & ingraveſcente paulatim morbo deficere; ſed dum membra dolore contraherentur exteriùs, ſpiritus tamen, quia laus Dei ſemper in ore ejus, confortabatur interiùs. Vocabat ſanctos Angelos, quorum hìc vita, illic nunc conſortio fruitur: Apoſtolos & Confeſſores, quorum fidem ſemper & confeſſionem tenuit, interpellabat: Virginum Chriſti in ſuo exitu invitabat chorum, quarum æmulatione in carne, dum præter carnem viveret, immaculatum Deo conſecraverat thorum; omnium Deo famulantium ſibi adeſſe, ſibi occurrere orabat auxilium. Verè, quod ſcriptum eſt, Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, in obitu tantæ Virginis vidimus comprobatum. *In vita ejus apud Sur.* 3. *die Martii*.

PRO PURGANDIS POST HANC VITAM.

Litaniis, Anglorum Regis ſoror Virgo integerrima Tetta, Virgini ſorori defunctæ, & ob nonnullas peccatorum labeculas adhuc pœnas luenti, veniam obtinuit, ita quidem ut ipſius tumuli terra, quæ ſubſederat, rurſum aſſurgeret, hiatumque inanem repleret. *Rudolphus Rabani diſcip. lib. de S.Charit.*

LITANIARUM CONTEMPTUS
Punitus a Deo.

Circa annum Domini 1561. cum Antverpiæ in proſtibulorum platea, Cochlearia vulgò appellata, plerique rerum novarum ſtudio conveniſſent, diemque feſtum agerent ob Societatis Jesu religioſos urbe ſubmotos, ac pernam benè elixam in medium plateæ adferentes læti epularentur, ac deindè ad choreas, & tripudia ſe dederent; ecce paulò poſt iſtius plateæ habitatores tam ſæva invaſit peſtis, ut circiter 40. ex ea lue ſtatim extinguerentur, inter quos & Capitaneus, & præcipui iſtius loci incolæ fuerunt. Iidem quoque paucos ante menſes Catholicos ſcommatibus & dicteriis divexaverant, cum juxta antiquiſſimum totius Eccleſiæ Catholicæ ritum, in diebus Rogationum, ab æde ſacra D. Michaelis ad baſilicam Deiparæ Virginis ſacras Litanias ſolemniter & religioſè peragerent. Utriuſque facinoris impietatem una ultione Deus vindicavit, ut qui anteà diſſimulando ſe mitem & longanimem oſtenderat, nunc vindicando ſe Deum ultionis declararet. *Tilm. Bredembach. lib.*7. *Coll. ſacr. cap.*43.

AUCTORITATE VARIORUM SCRIPTORUM
Adseritur Recepta Litaniarum Formula.

Ut lectori ſtudioſo omnis ſcrupulus eximatur, quàm Eccleſia Catholica majorum veſtigiis inſiſtendo, Litaniarum precationes ex ſupradictis aliiſque cauſis, frequenter & cum optato eventu adhibeat: & omnibus patere poſſit, quàm inſolenter Lutherani Sanctorum invocationem iiſdem proſcripſerint, ac reliqui Novatores eas contemnant, & Catholicos irrideant, viſum fuit ad calcem adjicere, quot quantiſve teſtibus Sanctorum hìc invocatio nitatur. Ut viſa eorum & multitudine & auctoritate confundantur illi, & deſinant Catholicis obſtrepere de novitate, & ſuperſtitione, ac formulis earundem precum, ut quas omnis antiquitas commendavit & probavit. Quam velle condemnare, inſolentiſſimæ impudentiæ fuerit.

Igitur verſiculi quod ſonat, S.Maria, Ora pro nobis, meminit *S.Iacobus in Liturgia. S.Athanaſius in Evang. de S.Deipara. Nazianzenus in carmine de Chriſto patiente, & apud eundem S.Iuſtina orat. in Cyprian. S. Ephrem orat. ad Mariam, & tom.*3. *tractatu de paſſione, itemque orat. de B.Virg. laudibus. Chryſoſt. in Liturg. & in oratione* 8. *apud Iacobum Bucerum. S.Method. orat. ad Hypop. Baſil. Seleuc. orat. in Annunt. S. Auguſtinus ſerm.*18. *de Sanctis, qui eſt ſermo* 2. *de Annunt. Fulgoſus ſermone de laudibus Mariæ. Synod. ſept. act.*6. *Nicæn. ſecunda act.*4. *Canon univerſalis Æthiopum. S. Thar. epiſt. ad Ant. & Alexand. S. Theod. Palæſt. epiſt. ad Ioann. Cyzicum. S.Germ. Conſtant. orat. de zona, & in Theoria Liturg. Fulbert. de Aſſumpt. Sophron. de Aſſumption. S. Damaſ. in hymno. B. Petrus Damianus ſerm. de Nativ. B. Virg. D.Bern. ſerm. ſignum Mag. Et hom.*2. *ſuper Miſſus. Et ſerm. in Nativit. B.Virg. Euthym. in Encom. B.Virg. Nic. Cabaſilas Liturgicæ expoſit. cap.*50. ubi exponit, cur primo loco inter Sanctos B.Virgo invocetur. *Iuſtinian. lib.*1. *Cod. tit.* 30. & in donis, quæ apud *Cedren. & Giſanium cap.* 1. idem effert Imperator. *Coſmas Hieroſolym. hymno* 4. *Theophanes, aliique ſub Theophilo iconomacho. Martyres & Confeſſores, apud Baron. tom.*9. *ibidemque Aurelianenſis epiſt. ad ſuos. Syriacorum elementorum libellus in precatione poſt cibum, & poſt ſalutationem Angelicam. Liturgia S.Baſilii ex MS. Ioſephi Scaligeri Arabico, pag.*32.

S.Michael. S.Gabriel. Omnes Sancti Angeli, Orate pro nobis. *S.Baſilius in Pſ.*33. *& orat. de Angelis*, itemque in Arabica Liturgia paulò antè citata. *Hilar. in Pſal.*129. *Ambroſius lib. de Viduis. Victor. Vtic. lib.*3. *S. Leo ſerm.* 5. *de Epiphan. Gregor. Turonen. lib. de gloria Confeſſ. c.*1. *Sophron. oration. de Angelis ſæpiſſimè. Pantal. in Encom. S. Michael. S. Aug. annot. in Iob, Conc.*2. *cap.*1. *S. Chryſoſt. orat.* 8. *apud Baurerum. S.Ephrem ſerm. de laudibus B. Virginis. S. Proſper* jamiam moriturus, ut in illius vita eſt.

S.Job, Ora pro nobis. *Orig. lib.*2. *comment. in Iob, & Græcæ in eund. Iob catenæ auctor, cap.*21.

S.Jeremia, Ora pro nobis. *Apud S.Epiphanium lib. de Prophetis.*

SS.Sidrach, Miſach, & Abdenago, Orate pro nobis. *Liturgia S.Baſil. Arabica.*

S. Jona, Ora pro nobis. *D. Hieronymus præfatione in ipſius Librum.*

S.Eleazare Machabæorum Magiſter, Ora pro nobis. *D. Ambroſ. lib.*2. *de Iacob.*

S.Joannes Baptiſta, Ora pro nobis. *Theodoſ. Imper. apud Niceph. lib.*12. *c.*39. *Theodor. lib.*5. *hiſt. cap.*24. *Sozom. lib.*7. *c.*24. *S.Baſil. in Liturgia S.Iacob. Aſcetes apud Theodoretum hiſtoriæ religioſæ c.*21. *Damaſc. lib.*4. *de Fide, cap.*16. *Paulus Diacon. lib.*14. *c.*22. *Arcadius apud Conſtantinienſ. Anton. in Liturgia S.Baſilii Arabica.*

Omnes SS.Patriarchæ & Prophetæ, Orate pro nobis. *Orig. ſuper Num. cap.* 21. *Cyrillus Catec.* 5. *myſt. Hilar. in Pſ.*124. *Victor lib.*3. *Paulin. natali* 2.3.6.8. *S.Leo Serm.*5. *de Epiphan. Chryſ. hom.*8. *apud Beurerum.*

S.Petre, Ora pro nobis, S.Paule &c. *Chryſoſt. homil. de natali Petri & Pauli, hom.*22. *in epiſtol. ad Roman. hom.*66. *ad pop. hom. poſt. reditum, & orat. in SS.Petrum & Paulum. S. Auguſtin. ſermon. de S. Paulo, ſerm.*4. *de SS.Petro & Paulo, & Epiſt.*42. *S. Ambroſ. lib.*1. *de Vid. & lib.*5. *Hexamer. cap. ult. S. Hieronym. præfat. in lib.*2. *Commentar. Epiſtol. ad Epheſios. Sanct. Leo ſerm.* 1. *de SS.Petro & Paulo, & ſerm.* 1. *de jejunio decimi menſis, ſerm.* 3. *&* 5. *de anniverſario, & apud Sophron. cap.*147. *&* 149. *Prati. Victor. lib.* 3. *perſecut. Miſſæ Æthiop. Gregor. Turonenſ. lib.*1. *de gloria Mart. c.*29. *Ant. Conſt. epiſtola ad Arcadium. S.Bernardus ſerm. de* 4. *modis orandi.*

S.Andrea, Ora pro nobis. *D. Ambroſius lib. de Viduis.*

S.Thoma, Ora pro nobis. *D.Chryſoſt. orat. de hoc Apoſt. edita à P.Frontone Duceo Tract.*14.

S.Joan. Evangeliſta, Ora pro nobis. *Placidia apud Rubeum lib.*2. *hiſt. Ravenn.*

Omnes

Omnes SS.Apoſtoli & Diſcipuli Domini, Orate pro nobis. *Chryſoſt. in Lyturgia, & homil.*66. *ad pop. & hom.*8. *apud Beurerum. Hilar. in Pſalm.* 124. *Greg. Nyſſen. orat. in Theod. S. Corn. epiſt.* 2. *S. Leo ſerm.* 5. *de Epiph. Gaud. hom. de Apoſt. Theodoſ. apud Ruffin. lib.*2. *hiſt. cap.*33. *S. Baſil. in Arab. Liturgia.*

S.Stephane, Ora pro nobis. *D. Auguſt. ſerm.*1. *&* 6. *de ſeipſo, & lib.*22. *de Civit. Dei, c.*8. *itemque in ſermonibus de Sanctis ſerm.*1. *c.*4. *ubi de S.Stephano ait:* Multò magis nunc exaudietur pro veneratoribus ſuis, qui ſic exauditus eſt pro lapidatoribus ſuis. Quæ verba ideò pono, ut ex iis corrigantur *in ſerm.*1. de ipſo ſimilia hæc: Multò magis nunc exauditur pro benè Oratoribus ſuis. Non enim benè Oratores, ſed Veneratores legendi. *Nicet.* narrat *de invent. reliq. Avitus Preſb. Epiſt. ad Balc. Lucian. Preſb. Epiſt. ad Eccl. Liturg. S. Baſil. Arabica.*

S.Dionyſi Areopagita, Ora pro nobis. *Michael Syngerus lib. de S.Dionyſio, ſub finem. Dagobertus rex apud Aimonium lib.*4. *ſemel & iterum.*

S.Ignati, Ora pro nobis. *S.Hero*, ejus diſcipulus & ſucceſſor, in precatione poſt ipſius Ignatii epiſtolas, & apud *Cæſar. Baron. in annal. Tom.*2.

S.Laurenti, Ora pro nobis. *S. Ambr. orat. de ipſo, & orat. in fratrem, & lib. de exhortat. ad Virg.* ubi & de alio Laurentio in *S. Aug. ſerm. de ipſo. Prud. in hymnis.*

SS.Gervaſi & Protaſi, Orate pro nobis. *Ambr. lib.*10. *ep.*85.

SS.Nazari, & Celſe, Orate pro nobis. *Idem Ambroſ. ſerm. de ipſis. Maximus ſerm. de iiſdem. Paulinus in fine Panegyrici.*

SS.Coſma & Damiane, Orate pro nobis. *Georgius Preſb. de Theodoro Siceo.*

S.Theodore, Ora pro nobis. *S.Greg. Nyſſen. orat. in ipſum, & orat.*11. *SS.Patrum. Liturg. S.Baſil. Arabica.*

S.Georgi, Ora pro nobis. *Eadem Liturgia, & infra lib.*2. *quæſt.*20.

S.Flaviane, Ora pro nobis. *Conc. Chalced. act.*11.

S.Proteri, Ora pro nobis. *Epiſt. Epiſc. ad Leon. Imper. poſt Concil. Chalced.*

S.Sergi, Ora pro nobis. *Niceph. lib.*18. *cap.*21.

S.Cypriane, Ora pro nobis. *D. Auguſt. lib.* 7. *contra Donatiſtas, cap.*1.

S.Babyla, Ora pro nobis. *Chryſoſt. orat. in ipſum.*

S.Mama, Ora pro nobis. *D.Baſil. orat. in Mamantem.*

S.Menna, Ora pro nobis. *Liturg. Arab. S.Baſilii.*

S.Mercuri, Ora pro nobis. *Eadem Liturgia.*

SS. Juventine & Maximine, Orate pro nobis. *D.Chryſoſt. orat. in ipſos. Niceph. lib.*10. *cap.*12.

S.Chriſtophore, Ora pro nobis. *Infr. lib.*2. *q.*21.

SS.Caſſiane & Hippolyte, Orate pro nobis. *Prud. in hymnis infra lib.*2. *q.*22.

SS.Quadraginta Martyres, Orate pro nobis. *D.Baſil. & S. Ephrem orat. in ipſos.*

Omnes Sancti Innocentes, Orate pro nobis. *Cyprian. ſerm. de Stella & Magis.*

Omnes Sancti Martyres, Orate pro nobis. *Baſil. orat. in* 40. *Mart. Euſebius lib.*13. *præparat. c.*7. *Theod. lib.*8. *ad Græcos, & libro relig. hiſt. c.*28. *Cyrill. Hieroſ. Myſt. S. Cyrillus lib.* 6. *contra Iulianum. S. Ephrem ſerm. de Martyr. Origenes hom.*3. *in diverſis. Vigil. in vita Sizinii. Ambr. lib. de Viduis, & lib.*10. *in Lucæ* 21. *c. Prud. de Martyr. Cæſar. Aug. Paulin. epiſt.*12. *& natali* 2.3.6.8. *S.Leo ſerm.* 5. *de Epiphan. S.Gregor. lib.*2. *Dial. c. ult. Gaud. Brix. homilia de Apoſt. & Mart. Max. de Tauricis Mart. S. Auguſt. tract.* 84. *in Ioan. ſerm.*17. *de verbis Apoſt. ſerm.*249. *de tempore, & in Pſ.*85. *Euſeb. Lugd. de S.Stephan. Liturgia S.Baſil. Arabica.*

S.Gregori, Ora pro nobis. *Ioan. Diac. præfat. in vitam.*

S.Athanaſi, Ora pro nobis. *Nazianz. in ipſum.*

S.Baſili, Ora pro nobis. *Idem Nazianz. orat. in ipſum, & S.Ephrem ſerm. de illo, ſub finem.*

S.Ephrem, Ora pro nobis. *Ion. in Encomiaſtico apud Voſſium, Tom.*3.

S.Gregori Nazianzene, Ora pro nobis. *Georg. presbyter in orat. ad ipſum.*

S.Nicolae, Ora pro nobis. *Chryſ. in Liturgia, & Ioan. Diac. in præfat. in ejus vitam.*

S.Joann. Chryſoſt. Ora pro nobis. *Theodoſ. junior apud Theodor. lib.*5. *hiſt. c.*36.

S.Epiphani, Ora pro nobis. *Sabin. epiſt. ad Polybium.*

S.Simeon, Ora pro nobis. *In Theodoreti hiſt. relig. c.* 26. *Evagr. lib.*1. *c.*13.

E S.Hilarion, Ora pro nobis. *Apud Hieron. in vita.*

S.Antoni, Ora pro nobis. *Nicetas orat. in ipſum. Liturgia Arabica S.Baſilii.*

S.Malachia, Ora pro nobis. *D.Bernardus epiſt. ad Fratres Hyberniæ.*

S.Martine, Ora pro nobis. *Severus Sulpitius ad Aurel. & epiſtola ad Baſſulam. Fortunat. præfat. in ipſius geſta, & lib.*2. 3. *&* 4. *Gregor. in hiſtor. Francor. paſſim, & lib. de glor. confeſſ. Dagobert. apud Aimonium lib.*4. *c.*34.

Omnes Sancti Confeſſores, Monachi, & Eremitæ, Orate pro nobis. *Vide Theodor. in relig. hiſt. ſingulis ferè capitibus uſque ad vigeſimum primum. S.Tharas epiſtol. ad Antonium, & Alexand. Rampertus Brix. in S.Philaſtrum. Theop. preſbyter in S.Niceph. Conſtant. S. Ephrem orat.* 2. *de Patribus qui obdormierunt. Liturgia S.Baſilii Arabica.*

S.Agnes, Ora pro nobis. *Maximus ſermone de ipſa. Prud. in hymnis.*

S.Euphemia, Ora pro nobis. *Conſtant. Tyus in narrat. de invent. Concil. Chalced.*

S.Maria Ægyptiaca, Ora pro nobis. *Zozymus apud Paul. Archid. Neap.*

S.Paula, Ora pro nobis. *Hieronym. in Epitaph.*

S.Bleſilla, Ora pro nobis. *Idem Hieronym. de obitu Bleſillæ.*

SS.Bernice, & Proſdoce cum Matre, Orate pro nobis. *D. Chryſoſt. de ipſis orat. apud Frontonem Ducæum.*

S.Catharina, Ora pro nobis. *Infra lib.*2. *q.*23.

Omnes SS. Virgines & Viduæ, Orate pro nobis. *S.Ambr. exhort. ad Virg.*

Omnes Sancti & Sanctæ Dei, intercedite pro nobis. *Origenes ſuper Num. c.*1. *D.Baſilius epiſt. ad Iulian. & in Liturgia Arabica. D.Hieron. lib. contra Vigilantium, & lib.*4. *in Ezechielem, c.*1. *Crhyſoſt. hom.*5. *&* 27. *in Matth. hom.* 1. *in primam Theſſal. hom.*42. *&* 44. *in Geneſ. & hom.* 66. *ad populum, hom.* 8. *apud Beurerum. Theophyl. in c.* 11. *ad Hebræos. Cyprianus lib.*1. *epiſt.*71. *Synodus* 7. *act.*7. *S. Auguſt. lib.* 22. *de Civitate, c.*8. 9. 10. *lib. de cura pro mortuis, c.*4. *&* 16. *S. Ephrem lib. de pœnitent. S.Ambroſius orat. de non tradendis Baſilicis. Venerab. Beda in c.* 5. *Lucæ, & lib.* 3. *hiſt. cap.* 12. *Damaſc. lib.*4. *de Fide, c.*16. *Primaſ. lib.*2. *in Apocal. Bereng. ſerm.*1. *de dedicat. Theofrid. ſerm.*2. *de vener. S.Bernard. ſerm. de Vigil. Petri & Pauli,* 4. *ſerm. de S. Victor. ſerm.*5. *in feſto omnium Sanctorum, & ſerm.*66. *in Cantica.*

Ex lucubrationibus Nicolai Serrarii in Opuſculis, Opuſc. de Litaniis ſacris. Vbi pleraque alia reperiet Lector, quæ hunc Titulum mirificè illuſtrare poterunt.

---

* Litera, ſive Littera.

Definitio Et Etymologia.

Literæ ſive Litteræ, Græcis γράμματα, dicuntur Latinis, ſive à lituris quibus ſimiles ſunt: ſive à lineaturis quarum tractu effinguntur: ſive quòd ſint velut Legiteræ, hoc eſt, iter præbeant ad legendum: ſive denique quòd legendo iterentur.

Sunt autem velut elementa, è quibus vox componitur; ad eum modum quo elementa conſtituunt compoſitum naturale.

Et quidem meminit hujus appellationis *Tertull. lib.* 5. *contra Marcion. ac Lucret. lib.*2. *de natur.*

Quin etiam paſſim noſtris in verſibus ipſis
Multa elementa vides, multa & communia verbis:
Cum tamen inter ſe verſus, ac verba neceſſe eſt
Confiteare alia ex aliis conſtare elementis.

Definiri ergo poſſunt Literæ, figuræ quædam, ſive ſigna quæ vocem componunt, & pronuntiationis ſermonumque modum velut efficiunt, ex hominum inſtituto ſignificantia. Unde & Hebræi eas vocant, *Othioth*, i. ſigna, ſive ſigna ſignorum, id eſt vocum. Siquidem ex literarum conjunctione fiunt ſyllabæ, ex his vox, ſive nomen, & deindè oratio. Literæ, ait *Iſidorus lib.*1. *cap.*3. indices ſunt rerum, ſigna verborum.

Acceptio Vocis Varia.

Vocantur etiam hoc nomine Libri cum ſacri, tum profani, quomodo *Cicer. pro Archia* dicit, Exempla omnia in tenebris jacerent, niſi literarum lumen accederet. Sic dicimus Sacras literas pro Bibliis.

 Deindè

A Deindè pro eruditione ſumuntur Literæ, undè & virum literatum, doctum appellamus: & Belgis familiare eſt, viros doctos appellare Gelliones ſive comeſtores literarum. Tamen uſus obtinuit, ut literarum nomen pro politiori diſciplina uſurpetur, quæ circa Grammaticæ, Rhetoricæ, Poeticæ, ornatèque ſcribendi ac dicendi præcepta verſatur. Cujus encomium ſcripſit M. Anton. Muretus, & alii oratores.

Scriptio.

De ſcriptione hujus vocis, an ſcilicet unico, an gemino TT. ſcribenda, variant ſcriptores. *Manut. in ſua Ortograph.* aſſerit, duplici eſſe ſcribendam: eique adhæret *Geropius Becanus*, addens, veteres omnes ita ſolitos ſcribere. *Iuſtus Lipſius*, cui multùm in re literaria debemus, ita paſſim uſurpat. Alii non eſſe duplicandum cenſent. Res eſt exigui momenti. Itaque liberum eſto uniuſcujuſque in hoc arbitrium. Legatur *Hermannus Hugo cap.* 1. *de Orig. ſcribendi.*

LITTERARUM INVENTORES.

B

Diximus nonnulla de hac re *in Loco de Grammat. Tit. Inventores Litterarum, Figura,* &c. idque ſecuti mentem *Theodori Zuingeri ex lib.* 1. *veteris ſui Theatri*, quæ licèt penè coincidant cum his quæ loco præſenti adducemus, ad pleniorem tamen argumenti iſtius indaginem, viſum fuit diſtinctiùs & pleniùs hìc de eo agere.

Igitur *Philonis Iudæi* cenſura eſt, Literas ab Abraham primùm inventas: *Ioſephus Iudæus*, & ex eo *Polydor. Virgilius, Opmerius, Gregor. Toloſas, Ludovicus Vives, Ioannes Annius Beroſi interpres*, excogitatas eas eſſe ab Enoch F. Seth, diu ante tempora Abrahami; *Bibliander*, ab Adamo; *Eupolemus, Euſebius, Clemens Rom. Cornel. Agrippa, Crinitus, Textor, Giraldus*, à Moyſe; *Clemens & Cyrill. Alexandrini, Herodotus, Pompon. Mela, Herodianus, Rufus, Feſtus, Zophyrion, Phornutus, Plinius, Lucanus, Ioſeph Scaliger*, à Phœnicibus; *D. Cyprian.* à Saturno; *Tacitus*, ab Ægyptiis: nonnulli in Bibliotheca Diodori, ab Æthiopibus: alii ab aliis, uſque ad nauſeam. Igitur ne deinceps in hiſce Cymmeriis tenebris errabundi vagemur, hoc C primùm ſtatuendum eſt; primam gentem illam quæ ab Adamo per filium ejus Seth, per Noe, per Heber, per Abraham deindè deſcendit ad Iſraelitas, ſeu poſteros Jacob, prima ætate, quæ fuit inter Adamum & Noe, nullum certum habuiſſe gentis nomen; ſed toto orbe fuiſſe diſperſam aliiſque permiſtam, unoque cum Cain poſteris idiomate uſam: Erat terra labii unius & ſermonum eorundem, inquit Scriptura *Gen.* 11. *cap.* Poſt Noe item uſque ad Heber 67. annis à diluvio; vel tantùm uſque ad habitationem Arphaxat ultra flumen, eadem gens adhuc anonyma fuit. Sed poſt, vel ab *Heber*, quod trans ſignificat; vel ab Heber filio Sale, vocata eſt Hebræa: quod unum nomen retinuit, donec Jacob vocatus eſt Iſrael, ac tum cœpit prætereà vocari Iſraeliticus populus. Eadem autem gens à poſteris Scriptoribus vocata eſt Aſſyrii, Syri, Phœnices, Aramæi & Jadæi, ob loca quæ inhabitavit, ut ſcribunt *Gulielm. Poſtellus ad Card. Carolum, Ioann. Annius in Not. Beroſi, Sigon. de Repub. Hebr. lib.* 1. *c.* 1. *Polydor. Virgil. lib.* 1. *c.* 6. *Bibliander de ratione linguarum, Ioſeph. Scalig. in Notat. Euſeb. in poſthuma item epiſt. quadam ad Chriſtoph. Puteanum, & in Explicat. nummi cujuſdam Conſtantini*, ubi D ſic ait: Chananæis, id eſt, Phœnicibus, tempore Abrahami lingua Hebraica fuit in uſu.

Hæc porrò gens Hebræa ſola retinuit proprium idioma (quo anteà omnes omninò homines fuerant locuti, Adam, Sem, Noe, eorumque poſteri) poſt Babylonicam confuſionem, inquit *Sigon. loc. cit. Opmerius, Vives*, & complures alii, de quibus poſt. Mutavit autem literas, auctore *Hieronymo*, cum iis quas hodiè ab Eſdra habemus, ut ſcribunt prætereà plurimi. Eæ enim fuere veteres, quas poſteà adferam Adamo adſignatas in Bibliotheca Vaticana; imò iis fortè priores ſunt illæ decem, quas *Iren.* vocat Sacerdotales.

His conſtitutis, omninò certum eſſe videtur, primas literas fuiſſe Hebraicas: nam prima lingua fuit Hebraica, ut conſtat ex nominibus primis Adam & Eva. Omnes autem ferè gentes, ait *Ammonius* Philoſophus à Giraldo laudatus, quemadmodum propria ſibi voce, ita ſingularibus, ac propriis quoque uſæ literis; neque literarum figuræ ante cœperunt eſſe diverſæ, quàm diverſitas idiomatum nata eſt in confuſione Babel. Nunquam enim unius alicujus linguæ, aut gentis literas legimus fuiſſe diverſas; niſi fortè capitales ſeu initiales, medias & finales, ut apud Arabes; vel ſolas initiales & finales, ut apud E Hebræos; vel ſolas capitales, ut apud Latinos: aut certè quandò gens aliqua in alterius venit poteſtatem, à qua cum legibus etiam literas acciperet.

Hanc autem de Hebraicarum Litterarum antiquitate cenſuram clariſſimis verbis tradidere præter alios plures, *Ioan. Annius, init. lib.* 1. *Not. Beroſi*: Quòd, inquit, ab Adamo cœperint literæ & diſciplinæ infuſæ, non eſt ex fide tantùm, ſed etiam hiſtoria Gentilium, & traditione Chaldæorum, qui ſe Aſtronomiam & literas habuiſſe ante Alexandri monarchiam, tribus millibus, & DCXXXIV. annis aſſerunt: Erant igitur in uſu literæ & ars fuſilis, mille annis ante inundationem. Porrò vivente Adamo & agente annum DCXXII. natus eſt Enoch, *Gen.* 5. Quare conjectura eſt & firmum argumentum, eumdem Enoch ab ipſo atavo ſuo primo Adamo ſuſcepiſſe literas. Idem Petr. *Gregor. Toloſas lib.* 15. *Reipub. cap.* 1. his verbis: Conſtat, antiquiſſimam eſſe literarum inventionem, eamque traxiſſe originem primam & characteres ab Hebræis, non à Chaldæis vel Græcis. Paulò verò ſuperiùs: Ab Hebraicis characteribus aliarum linguarum & nationum characteres efformati & tracti videntur, paulùm pro more, F & antiquitate, & uſu variati, & à rectitudine in aliam delineationem, vel imperitia ſcribentium, vel alio caſu declinantes. Item ſub finem: Fuere tamen aliæ gentes, quæ vel aliquas addiderunt, vel alias figuras adinvenerunt ex conſenſu receptas. *Theodor. Bibliand. Comment. de literis, cap. de Grammat. & literis*: Primus homo, inquit, & Patriarcha totius humani generis, literas divina inductione reperit. *Polydor. Virgil. l.* 1. *cap.* 6. Reperimus ante diluvium Noe apud eos omninò uſum fuiſſe literarum. *Ioſeph* enim in 1. *Antiq. cap.* 4. tradit, filios Seth (qui fuit filius Adæ) in duabus columnis diſciplinam cœleſtium rerum à ſe primò inventam conſcripſiſſe. Quo apparet, jam tum literas fuiſſe, quas fieri potuit, vi aquarum deletas Moyſen dein adinveniſſe, &c. Quapropter rectiùs, mea quidem ſententia, Philo primam literarum inventionem tribuit Abrahamo, qui Moyſe antiquior eſt. Niſi hoc ſit potiùs filiis Seth attribuendum, qui ipſum etiam Abrahamum multis annis præceſſerunt. *Angelus Roccha à Camerino Comment. in Bibl. Vatic.* In Bibliotheca Vaticana è regione primæ columnæ paraſtaticæ à tergo introitus Bibliothecæ pictus eſt Adam, &c. Supra hujus caput lite- G ræ Hebraicæ antiquæ leguntur: ad ejuſdem pedes inſcriptio Latina in hanc legitur verborum formam: Adam divinitùs edoctus, primus ſcientiarum & literarum inventor. Ratio autem ipſa perſuadet, Adamum, &c. characteres aliis præmonſtraſſe, &c.

Veroſimillima, ut ego quidem cenſeo, Polydori, Bibliandri, Toloſatis, Annii, & Angeli ſententia; quam tenuerunt prætereà *Ludov. Vives in cap.* 39. *lib.* 18. *De civit. Ioann. Tzetzes Chiliad.* 12. *Opmerius Chronici ſui fol.* 16. Neque aliud, opinor, dicere voluit *Plin.* cùm ſcripſit *lib.* 7. *cap.* 56. æternum ſibi videri eſſe literarum uſum, & ex Platonis Tymæo ait *Iuſtin. Martyr*, apud Ægyptios multorum annorum millium uſum literarum fuiſſe proditum; quàm nempè ab omni hominum memoria, etiam initio conditi orbis, uſum fuiſſe literarum. Benè ergo ait *Opmerius loco citato*, non Eſdram primas inveniſſe literas, ut *Hieronymus* putavit *Præfat. in lib. Regum, & Agrippa lib.* 11. occultæ Philoſoph. ſed ab eo potiùs (poſtquam patriis ſedibus fuerant depulſæ) jure quaſi poſtliminii vindicatas, & Judæis reſtitutas, ut ſcripſit *Auguſt. lib.* 18. *De Civit. cap.* 39. in hæc verba: H Non eſt credendum, quod nonnulli arbitrantur, &c. Hebræas literas ſolùm à lege cœpiſſe, quæ data eſt per Moyſen; ſed potiùs per illam ſucceſſionem Patrum, memoratam linguam cum ſuis literis cuſtoditam; nam Moyſes in populo Dei conſtituit, qui docendis literis præeſſent, priuſquam divinæ Legis ullas literas noſſent: hos appellat Scriptura, Grammaton iſagogos. Similia *ſunt Auguſt.* verba *quæſt.* 69. *Exodi*, diſputantis, qui ſunt γραμμάτων εἰσαγωγεῖς. Hìc ſanè ſignificatur, quòd ante legem datam habuerint Hebræi literas, &c. Nonnullis enim videtur, à primis hominibus eas cœpiſſe, & perductas eſſe ad Noe, atque inde ad parentes Abrahæ, & inde ad populum Iſrael. Omninò autem clara ſunt *Svidæ* verba, voce Adam: Adam, inquit, primus homo Dei manu effictus, &c. Hujus ſunt artes & literæ, hujus ſcientiæ rationales, & non aſtrictæ legibus rationis; hujus prophetiæ, ſacri ritus, purgationes, leges ſcriptæ pariter & non ſcriptæ; hujus denique ſunt omnia inventa & diſciplinæ, & quæcunque ad vitam atque convictum utilia ſunt & neceſſaria.

QUI

A

QUI PRIMI AB HEBRÆIS LITTERAS ACCEPERINT?

Jam illud videndum, ad quos primùm ab Hebræis litteræ velut in colonias deductæ ſunt; quibus item auctoribus novæ apud ſingulas ferè gentes pro diverſitate linguarum ſunt excogitatæ. Ad riſum uſque Scriptores hìc ſecum pugnant, & cum aliis, ut in hanc rem *Lilius Giraldus* ſcripſit *Dial.* 1. *De Poetis*; cujus hìc verba ſubnectam: Numquid vetuſtiores ceteris Atticorum literæ? minimè, inquam, puto. Vetus tamen eſt Græcorum proverbium, ut Atticis litteris aliquid factum affirment, quod ſit vetuſtiſſimè factum. Scribit *Val. Harpocration*, id quod etiam aliqua ex parte *Svidas*, quòd ſcribendi ratio apud Græcos per vigintiquatuor literas ſerò eſt ab Jonibus reperta. *Theopompus* quoque XXV. *Philippicarum*, fœdera ait adverſus Barbaros, non Atticis literis, ſed Jonicis ſancita fuiſſe; quaſi, ut puto, dicat literis, ſed recentioribus. Sunt tamen, qui hoc in Cecropem Athenienſium Regem B & legislatorem vetuſtiſſimum referunt; qui vel eas apud Athenienſes inveneris primus, vel obſoletas renovaverit; cùm fortè in omni Græcia literæ deperditæ fuiſſent, aquarum, ut creditur, alluvione, ut eſt apud *Diodorum Siculum*. *Cornelius* autem *Tacitus*, Per figuras, ait, animalium Ægyptii ſenſus mentis effingebant, & antiquiſſima monumenta memoriæ humanæ, impreſſa ſaxis cernuntur, & literarum ſe inventores perhibent; ut hinc faciliùs illa *Lucani* verba pateant:

Nondum flumineas Memphis contexere bibos
Noverat; in ſaxis tantùm vulnereſque feræque,
Sculptaque ſervabant magicas animalia linguas:

Subjungit *Tacitus*: Inde Phœnices, quia mari præpollebant, literas intuliſſe Græciæ, gloriamque adeptos, tanquam repererint, quæ acceperant: quippè fama eſt, Cadmum claſſe Phænicum vectum, rudibus adhuc Græcorum populis, artis ejus auctorem fuiſſe: Alii Danaum prodiderunt; quidam Cecropen Athenienſem, vel Linum Thebanum; & temporibus Trojanis Palamedem Argivum memorant XVI. literarum formas; mox alios, ac præcipuè Simonidem ceteras repperiſſe. C Literas quidem nos (verba ſunt *Lilii*) in Muſarum libello docuimus à Muſis inventas fuiſſe; ſed enim verò Ariſtophanes Æſchili verſus quoſdam commemorat, in quibus videtur aſſerere, Prometheum inveniſſe literarum compoſitionem. Plato inſuper, & ab eo *Cicero*, item *Diodorus & Lactantius* à Mercurio Ægyptio, quem Thyoth (Theut, Theuthatem, vel Thautum alii vocavere) literas inventas prodidere apud Ægyptios: alii ab Iſide Dea; nonnulli ab Anubi. Sunt qui Rhadamantum aſſerunt, apud Aſſyrios. Phrygiarum verò literarum ſunt, qui Herculem eum, qui Ægyptius fuit, inventorem faciant. *Plinius* ait arbitrari ſe, literas ſemper fuiſſe Aſſyrias. Alii apud Syros repertas volunt, quod *Euſebius* adſtruit ex antiquis. Addit *Plinius*, utique in Græciam attuliſſe è Phœnice Cadmum ſexdecim numero; quibus Trojano bello Palamedem adjeciſſe has quatuor Θ, Ξ, Φ, Χ. Totidem item poſteà Simonidem Melicium Ψ, Ε, Η, Ω, quarum omnium vis in noſtris recognoſcitur. Ariſtoteles decem & octo priſcas fuiſſe, & duas ab Epicharmo additas Θ & Ψ, quàm à Palamede mavult. Anticlides quendam in Ægypto inveniſſe literas nomine Memnona tradit, annis quindecim ante Pho- D toneum antiquiſſimum Græciæ Regem. Epigenes è diverſo, apud Babylonios DCC. & XX. annorum obſervationes ſiderum coctilibus laterculis inſcriptas docet, gravis auctor in primis: qui verò minimum, ut *Beroſus & Critodemus*, ajunt quadringentorum & octuaginta annorum; ex quo apparet, ut idem ait *Plinius*, æternus literarum uſus, vel, ut ego interpretor, vetuſtiſſimus. In Latium literas attulere Pelaſgi; plerique Carmentam ajunt, quæ & Nicoſtrata dicta eſt, Euandri mater: atque ideò ab initio ſexdecim tantummodò Latinorum literæ fuerunt, ſicut Græcorum, ut oſtendimus, & penè eaſdem fuiſſe, idem *Plinius* aſſerit. At verò *Tacitus* ſcribit, in Italia Hetruſcos literas à Corinthio Damaratho, Aborigenes ab Evandro Arcade didiciſſe. Scribit *Socrates*, Vvilphilam (quem Gulphilam etiam vocatum video) Gothorum Præſulem, Gothicas literas excogitaſſe. De quibus omnibus extant & hi verſus apud *Crinitum ex Biblioth. Septimiana lib.* 17. *de honeſta diſciplina*:

Moſes, Hebræas primus exaravit litteras,
Mente Phœnices ſagaci condiderunt Atticas,
Quas Latini ſcriptiamus, edidit Nicoſtrata:
Abram Syras, & idem reperit Chaldaicas; E
Ipſis arte non minore protulit Ægyptias,
Gulbhila prompſit Getarum quas videmus ultimas.

L. B. Theat. vitæ Human. Tom. IV.

Simpliciùs ſcribit Iſidorus *lib.* 1. *cap.* 3. Literæ Latinæ & Græcæ ab Hebræis videntur exortæ. Ad Latinas autem poſteà addita F, ex duplici Gamma conflata, hoc modo F, & hinc illi nomen digamma: ita addita H, ſpiritus nota, ex duobus, ut putatur, Græcis accentibus (ψιλὴ δασεῖα) H: tum etiam ↃC antiſigma à Claudio, pro Græco Ψ. Scribit *Euſtathius* literas longas, id eſt, Η & Ω, itemque duplices, primum Simonidem intuliſſe, cujuſmodi ſunt Ζ, Ξ, Ψ. *Philoſtratus in Heroicis*, inventionem literæ Υ Palamedi tribuit; quod ſubindicat etiam *Martialis*:

Turbabis verſus, nec litera tota volabit,
Vnam perdiderit ſi Palamedis avem.

Ex Græcis tamen quidam prodiderunt, ſexdecim illis antiquis Cadmum Mileſium addidiſſe has tres, Θ, Φ, Χ. Poſt hæc Simonides Cejus, duas addidit vocales longas Η & Ω. Syracuſius verò alter Simonides, vel ut alii opinantur Epicharmus, tres ſuperaddidit, Ζ, Ξ, Ψ. Sanè in Samo quatuor & viginti literæ Græcorum primùm repertæ produntur à Calliſtrato, ut F Andron in Tripode: idem verò Jonum literas tradidit Athenienſibus, &c. Homerus autem Mœonis (ut ex quodam Archilochi fragmento apparet) olympiade XXII. Græcas literas & earum formas emendavit. Quas enim Cadmus illius nominis quintus è Phœnicia attulerat in Græciam, rudes erat, inquit Xenophon lib. de Æquivocis, non Phœniciæ, ſed Galatarum & Mæonum characteribus perſimiles. Sanè hoc loco miſſa facio, quæ Annius Vetulonius commentus eſt, multa & curioſa ad faſtidium uſque: Gallorum enim & Hiſpanorum literas Græcis vetuſtiores aſſerere non dubitavit, quin & ab illis Græcos accepiſſe. Hucuſque carptim accepta verba Lilii Gyraldi *ex Dialog.* 1. *hiſt. Poet.*

Porrò omiſſis brevitatis impulſu ſententiarum diſſentientium pugnis, videntur Recentiores plerique cum Hermanno Hugone, qui diſertè totum hoc argumentum tractat, cujus etiam verba dabimus, in hoc convenire, ut nempè ſentiant literarum primas fuiſſe Hebraicas; ex his proximè natas eſſe Chaldaicas, quæ vix extant, deindè Aſſyrias, ſeu Babylonicas, ſeu Syriacas, ſeu Aramæas, auctore Abrahamo, ut conſtat ex inſcriptione Bibliothecæ Vaticanæ. Chaldaicæ enim literæ G quædam nunc omnes ſunt (olim aliæ) quæ Hebrææ; neque aliud eſt Chaldaica lingua, quàm dialectus Hebraicæ, ut ſcribit in Grammatica ſua Chaldaica Guido Fabricius Boderianus. Iterùm ex Syriacis ſeu Aramæis natæ ſunt Iſmaeliticæ, ſeu Arabicæ, quibus hodièque utuntur Turcæ, Tartari & Saraceni, auctore *Valer. lib.* 33. *c.* 2. Ex Syriacis, Samaritanæ item, quæ ad eas propiùs quàm ad Arabicas accedunt. Et fortè ex iiſdem Gothicæ, non multùm his abſimiles, quas *Ioannes & Olaus Magni*, Archiepiſcopi Upſalenſes ambo, ajunt, diu ante Latinas literas inventas, fuiſſe Aquilonaribus uſurpatas. Ex Hebræis etiam natæ ſunt Jonicæ ſeu Atticæ, apud Græcos antiquiſſimæ, & Græcorum item modernæ. Poſt Græcas Latinæ etiam ex Hebræis. Æthiopicæ & Ægyptiæ non ex Hebræis natæ ſunt, ſed è rerum figuris; neque enim tam ſunt literæ, quàm imagines & compendia ſententiarum, aut vocum. Aliarum gentium literæ non liquet, quando ſint, aut à quibus deductæ. Nam de Cimbris quæ ſcribunt Goropius & Scrieckius, de Gallis Poſtellus, de Hiſpanis Annius Viterbienſis, haud multùm videntur credibilia. Ita *Hermanus Hugo, in ſuo Tractatu de prima ſcribendi Origine, cap.* 3. H

LITTERARUM NUMERUS.

Inconſtans eſt ſententia, *inquit Gyraldus Dialog.* 1. *de hiſt. Poetarum*, non apud Latinos modò & Græcos, ſed aliarum quoque gentium ſcriptores, de ipſarum literarum numero; nam & Græcorum quidam tredecim tantùm literas eſſe voluerunt, quòd totidem ſint vocis elementa, ut ſcribit *Halicarnaſſ. in Rhetoricis*; alii ferè voluere eſſe innumerabiles, ut *Pyrrhonis* colligit. In qua re apud Latinos variatum. Sed & hodie pleræque Orientales, & Meridionales nationes in literarum numero variant, alii enim viginti ſex ſibi literas adſcivere, alii ſex etiam ultrà iis addidere uſque ad triginta duas; multò plures, ut Numæ Africæ populi, qui quadraginta ſeptem literarum notis uti produntur.

Nicolaus Trigaultius hiſtor. Senenſis lib. 1. *cap.* 5. ita de iis ſcribit: Apud Sinas, non pauciores literæ, quàm voces numerantur; eas tamen inter ſe ita componunt, ut LXXX. aut LXX. millia non excedant. Chaldæi verò, & Syri, ſeu

 Ara-

A Aramæi, quantùm coniicere licet, magis ſtabiles fuiſſe videntur.

At verò Hebræi ipſi, ut & Ægyptii, varii fuere, ſi *Irenæo* credimus, ita ſcribenti *lib.11, c.41. adverſ. hæreſes*: Antiquæ & primæ Hebræorum literæ, quæ Sacerdotales nuncupatæ, decem quidem fuere numero, Scribuntur autem quæque per quindecim, noviſſima litera copulata primæ, *&c.*

Sanè ut Hebræorum literæ ſunt viginti duæ, ita & Syrorum & Chaldæorum; Hebrææ tamen ad viginti ſeptem excreverunt, cum iis videlicet, quæ duplices, ſeu biformes, & finales vocantur. Quin & viginti duæ illæ vetuſtiores æſtimantur, ut ex Davidis Pſalmis quibuſdam, & Jeremiæ Threnis, Salomoniſque Proverbiorum fine.

Hic omninò numerus literarum Hebraicarum: ſed quæ fuerint primæ illæ decem Sacerdotales apud Irenæum, non ſatis conſtat.

LITTERARUM ADJECTARUM AUCTORES

APUD GRÆCOS ET LATINOS.

B

Variant hìc iterùm Scriptores; vel enim Palamedes, ut vult *Plinius*: vel Pherecydes, ut ſcribit *Apulejus*, invenit has quatuor, Θ,Ξ,Φ,Χ: vel ſanè Palamedes intulit primas ſexdecim, ut ſcribit *Tacitus*, quod in notis ſuis ad Svetonium, fortiter contra Lipſium aſſerit *Caſaubonus*: vel ad has octodecim, Α,Β,Γ,Δ,Ε,Ζ,Ι,Κ,Λ, Μ, Ν, Ο, Π, Ρ, Σ, Τ, Υ, Φ, duas adjecit Epicharmus Θ, & Ψ: longas verò vocales Η & Ω, Simonides: Υ fortè Palamedes, ut *Martialis Philoſtratus*; vel Pythagoras, ut inſcriptio Bibliothecæ Vaticanæ. Duplices, Ζ, Ξ, Ψ, fortè Simonides, ut *Euſtathius*: fortè Epicharmus, ut alii.

Latini verò, inquit *Polyd. lib. 1. cap. 6.* Græcorum imitatione literas ſex ad priſcas ſuas duodecim addiderunt, F, K, Q, X, Y, Z.

Conſiderandum autem, à quibus acceperint: F. digammon ab Æolibus acceperunt; quod, *Priſciano* teſte, apud antiquiſſimos Latinorum eandem vim atque apud Æoles habuit, ſed deindè Claudius Cæſar, ut *Tacitus* ſcribit *lib. 11.* F, pro V, conſonante recipiendum conſtituit; ut Fulgus, pro Vulgus. Undè *Quintil. lib. 1. c. 7.* Non inutiliter Claudius Æolicam il-

C lam ad hos uſus F, literam adjecerat. In quæ verba *Torrentius apud Svetonium c. 41.* Claudii, monet legendum eſſe F digammon, pro V, ſic OctaFia, &c. Et rectè; nam ita etiam *Priſcianus*, Apud Æoles olim F digamma, id eſt Vau, ab ipſius voce profectum, teſte Varrone & Didymo, qui id ei nomen eſſe oſtendunt; pro quo Cæſar hanc figuram F, ſcribere voluit. Plura in hanc rem *vide apud Angelum Roccha in Biblioth. Vaticana, Lipſium in Tacito, & Iulium Scalig. lib. 1. de cauſſ. ling. Latin. cap. 7.* Illud tamen præterea hìc obſervandum eſt, apud Latinos F poni cœptum pro PH, ut Fama pro PHama. Undè cùm *Sveton. cap. 41.* ita dicit de Claudio: Novas etiam tres commentus eſt litteras; ita intelligendus eſt, ut velit literam F tantùm quoad novum pronuntiationis modum ab eo eſſe inventam; atque ita unam de tribus Claudii literis fuiſſe novum illud digamma F: nam figura ejus non à Claudio, ſed ab Æolibus primùm facta eſt. Altera autem litera (auctore *Priſciano, & Marciano Capella*) fuit ↃC. ἀντίσιγμα s pro litera Ψ. Tertia quæ fuerit, non ſatis conſtat; niſi quòd *Vertranius Maurus* in ea verba Taciti, ubi de hoc Claudii invento loquitur, ſcribat, ſe legiſſe Romæ apud Velium Longum

D in libro De orthographia manuſcr. apud Stroſſium literam novam à Claudio excogitatam, ſimilem ei notæ, quam pro aſpiratione Græci ponunt: de quo videndus *Quintil. lib. 1. Inſtit. c. 4. & 7.* Sunt tamen qui volunt, tertiam illam Claudii literam fuiſſe X, pro literis SS, vel GS. quod Lipſio in Tacit. non probatur; ſed omnes tres, vivo adhuc Claudio, fuere tandem ſepultæ, ut refert *Tacitus*.

K Latini à Græcis ſumpſere ſine neceſſitate: primus id fecit Saluſtius ludimagiſter, ut narrat *Iſidorus lib. 1.*

Q, viſa eſt eſſe pinguioris ſoni quàm C: quo auctore, neſcitur. Sunt qui Licinio Calvo tribuunt. Biblioth. Vaticana *Evandro*.

X. pronunciamus pro CS, vel GS; ideòque iis ambabus carere poteramus, inquit *Quintilianus & Iſidorus*, inventum Claudii Imperatoris.

Y & Z, à Græcis accepta ſunt, eorum uſus tantùm eſt in iis vocibus quas à Græcis integras Latini in linguam ſuam intulerunt.

G pro C, primus apud Latinos ſubſtituit Sp. Carpilius Grammat. auctore *Plutarcho*, qui mos hucuſque inveteravit.

At non ita feliciter evenit res Claudio Centiniano, qui (ut E *Pomponius* refert, *Dig. de Orig. Iuris, tit. 11.*) literam S pro R invexit, ut nempè Fuſios & Valeſios diceremus, pro Valeriis & Furiis. Dulcis palati & oris hominem! qui litterulæ unius aſperitatem non ferret. Nec verò meliùs cecidere conatus Arrio illi Catulliano, qui nimiùm adſpirationibus delectatus, paſſim eam vocalibus præfigebat:

Chommoda dicebat, ſi quando commoda vellet
Dicere; & hinſiadas, Arrius inſidias.

Digniſſimus autem exitus conſecutus eſt commentum illud Flori, volentis Auguſto perſuadere, pro O paſſim ſcribendum dicendumque eſſe AV, ut Aula & Plauſtrum, pro Olla & Ploſtro. Auguſtus enim, ut bellè hominem erudiret, poſtridie ad ſe adventantem, non Florum, ut ſolebat, ſed Flaurum, appellavit; quo riſu homo ridiculus novitatibus deinceps abſtinuit.

ORDO, SIVE STATIO LITTERARUM.

Idem ferè ordo literarum ſervatus eſt à generibus omnibus, qui ab Hebræis, extra Arabes ſolos, qui plus nimio gloriæ cupidi, literarum ſuarum ordinem, ut & figuras, noluerunt videri ab aliis accepiſſe. F Græci & Latini veteribus literis novas ſuas tantùm inſeruerunt, vel ſubjunxerunt. Inſpice penitiùs & non dubitabis ו Vau Hebraicum, quod ſexto loco ponitur, à Latinis tantùm inverſum eſt T, eodemque loco cum eadem poteſtate retentum. Græci verò ejus loco ſubſtituerunt epiſemon ϛ forma, non multùm abſimile, eadem cum ו poteſtate numerandi: notat enim ϛ Græcis, ſex; ſicut ו Vau Hebræis: ipſum autem ו mutarunt in Y, & rejecerunt in calcem.

Iterùm Græci rejecerunt Hebraicum ק Coph, ejuſque loco ſumpſerunt inverſum צ Tſade, pro Ψ, quaſi Pſade, quibus ſolis expunctis ex Alphabeto Græco & Latino, habebis eundem ferè ordinem cum Hebræis, ſed ſuis & novis literis auctiorem: uti obſervavit *Guilielmus Poſtellus* Commentariolo de literis Phœnicum, ad Cardinalem Lotharing. Porrò ordinem quem hodieque habemus, partim natura, partim error induxit. Græci ſuum à Palamede Naupolio ferunt inventum, vel à Simonide, ut apud Lucianum eſt in Judicio vocalium.

A, apud omnes gentes literarum agmen ducit; *Auſonius*. G

Dux elementorum ſtudiis viget in Latiis A.

Eſt enim A, inquit *Scaliger lib. 1. De cauſ. ling. Lat. cap. 38.* prima notiſſimaque infantis vox, cum qua vitæ hujus ſpiritum primum hauſimus, neque re ulla eget alia, quàm hiatu oris ſolo, ſine ullo ceterorum motu inſtrumentorum, *&c.* Primores conſonantium autem ſunt B, G, M, quare Arabes atque Hebræi Græcique longè quàm Latini ſapientiùs, qui ſtatim poſt A, ponerent B, poſt quam G, non C, ut noſtri: faciliùs enim G quàm C pronuntiatur.

L quoque facillima fuit, atque inter primas reponenda; lactentis enim ætatis eſt; itaque udam Græci appellarunt.

R judicio poſtrema in ſede recenſendam, ſed ante duplices tamen; quarum unaquæque eo loco ſtatuetur, quo ejus origo fuit, ut Ψ prima ſit, quia B; at Ξ ultima, quia C; media Z, quia D; Q novum inventum Latinorum, aut ſtatim poſt C, aut omnium ultima collocaretur. N autem poſt L. Neque verò idem ordo apud omnes nationes eſſe debet, ſed ut cuique frequentior eſt litera, ita prior alia eſſe debet. *Hæc Scaliger.*

FIGURÆ. IN GENERE. H

Hebraicos characteres omnes compoſitos eſſe ex ſola litera י Jod variè colligata, ingenioſè obſervavit *Gulielmus Poſtellus* libro de Phœnicum literis ad Cardinalem Lotharing. verbi gr. Aleph ex quatuor Jod ita connexis : Gimel, ex tribus ; Vau, ex duobus יי ; Mem & Sin, ex quinque ↃC. De Latinis verò non malè *Scaliger. l. 1. De cauſſ. ling. Latin. cap. 39.* Figura, inquit, literis accidit per lineas: omnis autem linea, aut obliqua, aut recta eſt. Literæ autem omnes, aut linea, aut lineis conſtant: item aut recta, ut I, aut rectis, ut H, aut obliqua, ut O, aut obliquis, ut Q, aut recta & obliqua, ut P, aut obliqua & recta, ut G, aut recta & obliquis, ut A, B, K. Hæc diviſio eſt à ſubſtantia. Ab accidenti autem talis: Perpendicularis una, I; duæ, H, eæque jugatæ. Duæ angulares ad medium perpendiculum, A. Una perpendicularis cum una jugata, L, cum duobus, F, cum tribus, E. Duæ perpendiculares, diametro quadrati jugatæ, N, & jacente ſitu huic adverſa, Z. Duæ diame-

A diametrales, X. Sunt & curvæ inordinatæ, S; nam Græca ex æquo reſpondet ſibi, Σ; cui ſtans adverſatur M.

Item aliter literæ dividi poſſunt in ſimplices & compoſitas, quales ſunt ȣ & F; prior ex υ & ο; poſterior componitur ex ΓΓ.

Figuræ autem ſunt apud varias gentes, variæ; de quibus *Guilielmus Poſtellus, Ioannes Baptiſta Palatinus, Bibliander, & Angelus Rocha de Camerino, Ioannes & Theodorus de Bry.*

NOMINA ET PRONUNCIATIO,

EORUMQUE ORICO ET CAUSA.

Conſtat inter omnes, ab Hebraicarum characterum nominibus, reliquarum gentium literas appellatas, vel ex ſola vocabulorum affinitate.

Pronuntiant Hebræi.

Aleph, Beth, Gimel, Daleth, He, Vau, Zain, Cheth, Theth, Jod, Caph, Lamed, Mem, Nun, Samech, Aiin, Pe, Tſade, Coph, Reſc, Scin, Tau.

B Pronuntiarunt olim Chaldæi, ut docet *Ioannes Potkenius Agrippinas in Pſalterio Chaldaico, & Monſt. in Gram. Chaldaica*; vel, ut alii malunt, Indiæ populi:
Ha, La, Ha, Ma, Sa, Za, Sa, Ka, Ba, Ta, Ha, Na, A, Cha, Vua, A, Za, Ta, Da, Gha, Tha, Pa, Za, Za, Fa, Pa. Sed veriùs Chaldæi ſic pronuntiarunt, auctoribus Theodoro & Joanne de Bry:
Elpha, Vath, Gau, Dau, Zau, Vt, Zec, Vu, To, Hit, Caccar, Harar, Lendin, Neta, Pu, Fu, Puſo, Sam, An, Sagivu, Kal, Rab, Sivi, Reb, Ten.

Pronuntiant SYRI veteres, auctore *Scaligero in Euſebio.*

Alpha, Beta, Gamla, Delta, He, Vvau, Zeta, Heta, Theta, Jota, Kappa, Lambda, Me, Nun, Simcha, Oe, Phe, Tzode, Kophe, Roe, Scin, Thau.

SYRI recentiores, eodem auctore, & aliis.

Olaph, Beth, Gomal, Dolath, He, Vau, Zoe, Heth, Theth, Jud, Chuph, Lomad, Mim, Nun, Semchath, E, Phe, Tzade, Kuph, Reſch, Scin, Thau. Aliter verò, auctoribus Joanne & Theodoro Bry: Alyn, Bem, Gem, Dein, Ethimi, Fetin, Gith, Jothin, Kami, Kamin, Latin, Moin, Michoin, Olip, Phiſa, Quinin,

C Roſi, Schith, Thoth, Vi, Xit, Yn, Ziph.

ARABES, TURCÆ, & PERSÆ.

Aliph, Be, Te, The, Gim, Hha, Cha, Dal, Dhal, Re, Zain, Sin, Scin, Sad, Dhad, Ta, Thda, Ain, Ghain, Phe, Coph, Kaph, Lam, Min, Nun, He, Vau, Ie, Lam-aliph.

PHOENICES, SAMARITANI, JONES & Græci.

Alpha, Beta, / Vita, Gamma, Delta, Epſilon, Zeta, / Zita, Eta, / Ita, Theta, / Thita, Jota, Kappa, Lamba, My, Ny, Xi, Omicron, Pi, Rho, Sigma, Tau, Ypſilon, Phi, Chi, Pſi, Omega.

ÆGYPTII, auctoribus *Theodoro & Ioanne Iſraele de Bry.*

Athomus, Bivithyn, Chinor, Dinam, Eni, Fin, Gomor,
D Heleta, Joquum, Kayra, Luzamin, Mithe, Nayn, Obelat, Pilon, Quin, Iron, Sichen, Tela, Vt, Xiron, Ipph, Zaim, Thou.

ÆTHIOPES, iiſdem auctoribus:

Alph, Beth, Gemel, Dent, Hoi, Vave, Zai, Haut, Harm, Thait, Jaman, Caph, Lavi, Mai, Nahas, Saut, Hain, Pais, Aph, Pſa, Zadai, Zxappa, Kaph, Res, Saat, Tavi.

JACOBITANI, iiſdem auctoribus.

Alpha, Veda, Gamma, Delda, E, Tzo, Zieda, Eta, Theta, Joda, Cabba, Lambda, My, Ny, Exi, O, Phi, Rou, Sigma, Ta, Ye, Fi, Chi, Ebſi, Omega, Scei, Vei, Hach, Hori, Sima, Ti.

LATINI, HISPANI, GALLI, ITALI, GERMANI, ANGLI, BELGÆ, &c.

A, B, Ce, De, E, Ef, Ge, Haca, I, Ka, eL, eM, eN, O, Pe, Qu, eR, eS, Te, U, iX.

ILLYRII, ut eſt in Bibliotheca Vaticana.

As, Buck, Viede, Glagoglie, Dobro, Ieſt, Sgiviete, Sielo, Semglie, Iſge, I, Iu, Kako, Liude, Miſlete, Naſc, On, Pokoi, Erzi, Slovo, Turde, Vk, Hir, Fi, Zi, Ciaru, Od, Scai, Sctai, Jer, Jar, Juſt, Jerieſt.

ARMENI in Bibliotheca Vaticana. E

Aip, Pien, / Bien, Chiim, / Giem, Da, / Ta, Iec, Za, Ae, Iet, Tho,
Ge, / Ze, / Xe, Inni, Liun, Hhe, Zza, / Dha, / Tza, Chien, / Gien, / Kien, / Quien, Ho, Tza, / Ssa, / Xa,
Chat, / Glal, Ie, / Hie, Mien, Chi, Nu, Scha, / Sa, Vua, Zca, / Zia,
Gal, Gie,
Be, / Pe, Zche, / Sche, Rha, / Rha, Pe, Vieu, Dun, Re, Zzo,
Yun, Aipiun.

SCLAVI, auctoribus *Ioanne & Theodoro de Bry.*

Ac, Buc, Cothno, Dobro, Feiu, Cagloſe, Hy, Ilſouo, Ieſti, Miſalre, Nam, On, Pochi, Teurus, Rheti, Rheti, Sier, Te, F Vlo, Xnie.

SARACENI, auctoribus *Ioanne & Theodoro de Bry.*

Alemoxi, Bendi, Cati, Dephin, Ephoti, Foithi, Gaipoi, Herbini, Ioithi, Karthi, Lechimi, Melatil, Nabelot, Oithi, Corizeth, Inthoath, Rati, Salaty, Tothin, Azothoth, Hircovi, Arovichi, Zozim.

MOSCOVITÆ, auctoribus *Ioanne & Theodoro de Bry.*

As, Boki, Vide, Glahol, Dobre, Ieſt, Selo, Ziemla, I, Y, Ie, Kako, Lude, Misliti, Nas, On, Pokoi, Rezi, Szlovo, Tuuerdo, Vk, Pher, Her, Or, Cha, Cza, Taa, Scha.

LITTERARUM SIGNIFICATIO, G

ET ETYMON.

א Aleph, quaſi Aluph, id eſt Princeps, Hebræis dicta, inquit *Bellarminus* noſter in Grammatica Hebræa. Cur autem princeps? Quia prima naſcentium vox, ut *Iulius Scaliger. Angelus Caninius Anglarenſis, in Inſtitut. ling. Syriacæ*, אלפ, Bovem interpretatur, ita etiam *Ioſephus Scaliger in Euſebii Notis*. Bovem autem animalium principem æſtimabant, ob utilitatem. Græci ἄλφα vocant, quod Tyriis bovem ſignificat, inquit *Plutarchus in Sympoſ.* Quia bos Cadmo occurrit, dum urbem in Bœotia condere vellet, ideòque Alpha omnibus literis præire voluit. Accedit Plutarcho *Heſychius*. Ἄλφα, βοὸς κεφαλή.

ב Beth, id eſt domus, ab imitatione. *Chevalerus Caninius, Bellarminus.* Græci. Βῆτα; Latini priore tantùm ſyllaba, Be. Hinc *Auſonius*:

Dividuum Betas monoſyllabon Italicum B.

Sunt qui ejus ſonum ab ovium balatu docent acceptum, unde *Cratini* verſus eſt in Διονυσαλεξάνδρῳ. H

Stolidus tanquam ovis, be be dicens ambula.

ג Gimel, quaſi Gamal, id eſt Camelus, à gibbo, inquiunt *Chevalerus Caninius, Bellarminus.* Græci Γάμμα παρὰ τὸ ἀμᾶν, à metendo, quòd ſimilis ſit falci. Latini Ge, apud quos nova hæc litera, Sp. Carbilii commento; antè enim pro ea utebantur C, ut Cajus, Cnejus, pro Gajo, Gnejo. *Auſonius*:

Prævaluit poſtquam Gamma vice functa priùs C.

Nec alia fuit opus mutatione, quàm rectum pedunculum adjicere homicyclo G, quæ figura Græcis pridem nota, non quidem inter literas, ſed inter numerorum formas, auctore *Mario Victorino*; qui ait, Latinorum G, eſſe idem, quod Græcorum epiſemon, de quo *Beda* egregiè *lib. De indignatione*: Græci, inquit, tres numeros, notis propriis quæ ex Alphabeto non ſunt, depingunt. Prima eſt ϛ, nota numeri vi. Altera G, quæ vocatur Cophe, & valet inter numeros xc. Tertia eſt ϡ enneacoſia, quæ valet DCCCC.

ד Daleth quaſi Deleth, id eſt porta, à ſimilitudine. *Chevalerus Caninius, Bellarminus.* Græci Δέλτα; Latini D. Hinc *Auſonius* malè, obſervat *Scaliger*:

A *Non formam, at nomen Deltæ gere Romuleum D.*
Romuleum enim D, eſt verum & vetus Delta Jonicum, non verò Δ Græcorum.

ה, He, nomen à ſono fictum, inquit *Bellarminus*, *& Caninius*: vermem Punici interpretantur. Latini Ha. *Auſonius*:

Spiritus hic flatus tenuiſſima vivificans H.

ו, Vau, id eſt uncinus, à forma: pro hac una, duabus utuntur Græci Φ & B; Latini eF, vel V conſonante; Arabes pronuntiant Vau vel Gau.

ז, Zain quaſi Zen, id eſt arma; exprimit enim clavam; Zeta apud Græcos & Latinos, pro quo hi antiquitùs utebantur G. *Martianus*: Tetum dicebant quem nunc Zetum: vocata eſt apud *Martianum Capellam* Sepulchralis litera, quòd morientium dentes ita diſtringantur in modum Z.

ח, Cheth, à ſono, inquit *Bellarminus*. *Caninius* quadrupedem interpretatur. Chi Græcis. *Auſonius*:

In Latio numerus denarius, Argolicum X.

ט, Theth, à ſono, ait *Bellarminus*, *Caninius* involucrum vocat. Tau Græcis & Thita: Latinis Te. De utroque *Auſon.*

B *Malus ut antennam fert vertice; ſic ego ſum* T.
Anſis cincta duabus erit cùm Iota, leges Θ.

י, Jod, manus, inquit *Caninius*; ſed *Bellarminus & Chevalerus* quaſi Jad, hoc eſt ſpatium, quod ob exilitatem ſuam vacuum relinquit, Græcis Jota, Latinis I. *Auſonius*:

Litera ſum Iotæ ſimilis, vox plena jubens I.

Quò egregiè alluſit Epigrammatophorus noſter, quem Italis etiam audio eſſe admirationi:

Hunc eſſe verè Ieſuitam dixeris,
Quem pes rubentem & ſole & auro Pervam,
Criſpum per Afrum perque Memnonias domos,
Et horridam Arcton, una mittit litera.

כ, Caph, palmam interpretatur *Caninius*, *Bellarminus* à Caphaph, incurvare; eſt enim tota curva. Græci K & X; Latini C: nam & Latinum C, olim ſic pingebatur: undè apparet fluxiſſe à Græco K, recto tantùm pede amputato, ut notat *Iulius Scaliger*, *& Auſonius* confirmat:

Cappa fuit primùm Bœotia; nunc Latium K.

ל, Lamed, à Malmad, id eſt ſtimulo, ſeu veru. Græci Lambda: Latini eL.

C מ, Mem, macula *Caninio*; vel, ut *Bellarminus*, à ſono, ut in aliis linguis. My Græci, Latini eM vocant. *Auſonius*:

Vocibus in Græcis nunquam ultima conſpicior M.

נ, Nun, piſcem interpretatur *Caninius*; *Bellarminus*, à ſono format. Græci Ny, Latini eN. *Auſonius*:

Zeta jacens ſi ſurgat, erit nota quæ legitur N.

ס, Samech, baſis, inquit *Caninius*; continuatum & in ſe ductum, ait *Bellarminus*. Græci Sigma, olim San, donec Ξ admiſſum: Latini eS: à vetuſtiſſima autem Sigmatis figura, quæ talis erat, C, ſtibadium ſeu menſula, vocata eſt Sigma. *Martialis*:

Accipe lunata ſcriptum teſtudine Sigma.

Item alibi:

Septem Sigma capit, ſex ſumus, adde lupum.

ע, Ajin, fons *Caninio*; *Bellarmino* interprete, oculus: aſpiratio eſt ſolis Hebræis nota. Arabes pronuntiant Hain & Gain.

פ, Pe, os ſeu vultus. Græcis Pi, Latinis Pe. *Auſonius*:

Hoſtilis quæ forma jugi eſt, hanc efficiet Π.

Scribit *Halicarnaſſeus*, veteres diu pro Π uſos eſſe Δ.

D צ, Tſade, venabulum, ſeu hamus, propria Hebræis litera. Arabicus Tzad & Thad.

ק, Coph, à Cuph circulo, vel, ut *Caninius* vult, ſignificat ſimium. Græci K, Latini C, & Q, quæ ultima ex ſemicirculo literæ C, concrevit in circulum, cauda appenſa, hoc modo, Q, ad diſtinctionem literæ O, ut *Scaliger* adnotavit: ejus autem loco primùm utebantur C, teſte *Auſonio*:

Prævaluit poſtquam Gammæ vice functa prius C.
Atque alium per ſe titulum replicata dedit Q.

Quamquam & apud Græcos hæc figura erat epiſemon, ſeu numeri nota, valens nonaginta, ut ſcribit *Marius Victorinus*. Nec Q invexit Latinus ſermo; ſed apud Græcos fuiſſe, cognoſcere poteſtis, ſi Pontificum libros legeritis; & ſervire numero, & ſignificare nonaginta.

ר, Reſc, quaſi Ros, id eſt caput. Græci Rho; Latini eR. *Auſonius*:

Auſonium ſi Pe ſcribas, ero Cecropium P.
Et Rho quod Græco, mutabitur in Latium P.

Caninam literam vocat *Perſius*:

——Sonat hic de nare canina
Litera—— E

Lucilium credo imitatus illo verſu:

Irritata canes quòd RR, quamplurima dicat.

Non ſcriptu, ſed pronuntiatu difficilis litera, quam Demoſthenes didiciſſe fertur, catellam irritando. Eſt ſcrupus inſignis apud Epigrammaphum *Bernardum Bauhuſium*, de tribus hiſce ejuſdem literæ nominibus ER, RO, RES.

Seſquipedalis ſum, Iudaica, Graia, Latina,

Inque pedis medio pars mihi pulchra roſa eſt.

DE LITTERIS

VOCALIBUS.

Jam de vocalibus obiter dicendum. Veteres Hebræi, inquit *Bellarminus cap.* 11. quòd propriè vocales non haberent, utebantur earum loco quatuor conſonantibus, Aleph, He, Vau, F
Jod: per Aleph & He exprimebant A, per Vau, O & V, per Jod, E & I: præter quas, Græci habuerunt E longum, ſeu H, & Ω, & Υ.

E, Ἐψιλὸν, olim ſcribebatur hoc modo E, inquit Joſephus Scaliger ad Euſebium: tribus autem obelis jugulatur, medio ſummo & imo; ut diſtinguatur à F ſpiritu, à γάμμα, à L, Lamda, à E, C, vetere. Ita Scaliger *Iulius lib.* 1. *de ling. Lat. cap.* 40. *Auſonius*:

Præſto quod E *Latium ſemper breve Dorica vox* E.

H, Ἦτα apud Jones erat nota ſpiritus, ſicut hodieque apud Latinos. *D. Hieronymus libro de nominibus Hebraicis* vocat eam extenſam vocalem; hoc eſt ἀντίστοιχον τῷ ε. Sic *Auſonius*:

Ita quod Æolidum, quodque E *valet, hoc Latiale* E.

Ομικρὸν, figuram habet ab oris rotunditate, qua os componimus, dum O pronunciamus. Olim autem pronuntiabatur planè ut ου, *Auſonio* teſte:

Vna fuit quondam quæ reſpondere Lacones
Litera, & irato Regi placuere negantes.

ου autem poſt ſcribi cœptum eſt pro O. *Auſonius*: G

Hoc tereti argutoque ſono negat Attica gens, ου.

Quam literam, quia Philoxenus reſcripſit Dionyſio ſe revocanti, vocarunt φιλοξένειον γράμμα.

Ωμέγα opponitur Ομικρόν. *Auſonius*:

Et ſuprema notis adſcribitur Argolicis Ω:
Tres habeo dentes, Graium unum, unumque Latinum,
Tertius Hebræi de canis ore venit.
Si me non dicis, dicis; ſi dixeris, erras:
Cuncta Deus faciat, quæ queat, iſta nequit.

שׁ, Scin, quaſi Scen, id eſt dens, à forma; propria Hebræis litera. Arabes dicunt SSin.

ת, Tau, ſignum ſive terminus, quia claudit Alphabetum, ſicut Aleph inchoat. Græci Tau, Latini Te. Harum porrò literarum ſignificationes alias longè adfert *Euſebius lib.* 9. *&* 10. *de præpar. Evang. & ex eo D. Hieronymus Commentariis ad Threnos, & Epiſtola ad Paulam*; quos aberraſſe quidem, demonſtrat egregiè *Goropius Hieroglyph. lib.* 1. ſed ipſe multò certè miſerabiliùs lapſus, cùm totius Alphabeti Hebraici literis omnibus miram quandam orationem ad Spiritum ſanctum docet contineri; ſecutus, ut opinor, H
Martini Gilberti commentum, qui Hebraicum Alphabetum in ſeptem ſententias literis Hebraicis ſignificatas diſperſit; de quibus nihil habeo dicere ſimplicius, quàm quòd

Turpe eſt difficiles habere nugas.

His ambobus reſpondet O Latinorum. *Auſonius*:

Ω *quod & ΟΥ Græcum, compenſat Romula vox* O.

Υψιλόν. Pythagoræ bivium dicta, à ramoſis brachiis. *Auſonius*:

Pythagoræ bivium ramis pateo ambiguis Y.

U, Latinis propria litera, ut *Auſonius* notavit:

Cecropiis ignota notis ferale ſonans U.

De hac *Priſcianus*: U loco conſonantis poſita, eandem prorſus in omnibus vim habuit apud Latinos, quam apud Æoles Digamma F.

Lite-

A *Litterarum Hebraicarum, Græcarum, & Latinarum*

SCHEMA.

HEBR.		GRÆC.		LAT.
Aleph.	א	Alpha.	Α α	A a
Bet.	ב	Vita.	Β β ϐ	B b
Gimel.	ג	Gamma.	Γ γ Γ	C c
Dalet.	ד	Dhelta.	Δ δ	D d
He.	ה	E pſilon.	Ε ε	E e
Vau.	ו	Zita.	Ζ ζ	F f
Zajin.	ז	Ita.	Η η	G g
Cheth.	ח	Thita.	Θ ϑ θ	H h
Theth.	ט	Iota.	Ι ι	I i
Jod.	י	Cappa.	Κ κ	K h
Chaph.	כ	Lamda.	Λ λ	L l
Lamed.	ל	My.	Μ μ	M m
Mem.	מ	Ny.	Ν ν	N n
Nun.	ן נ	Xi.	Ξ ξ	O o
Samech.	ס	O micron.	Ο ο	P p
Hajin.	ע	Pi.	Π π ϖ	Q q
Pe.	ף פ	Rho.	Ρ ρ	R r
Tzade.	ץ צ	Sigma.	Σ σ ς	S s
Koph.	ק	Tau.	Τ τ	T t
Res.	ר	Y pſilon.	Υ υ	V u
Schin.	שׁ	Phi.	Φ φ	X x
Sin.	שׂ	Chi.	Χ χ	Y y
Tau.	ת	Pſi.	Ψ ψ	Z z
		O mega.	Ω ω	

B

Literarum verò Hebraicarum aliæ ſerviles ſunt, aliæ radicales, aliæ gutturales, labiales, linguæ quieſcentis, & dentium; nempè quæ egent adminiculo illorum membrorum ad ſui enuntiationem. De quibus omnibus videatur Grammatica Hebraica *Card. Bellarmini*, & aliorum. Item P. *Gregor. Toloſſ. l.* 16. *Syntax. art. mirab. cap.* 5. *&* 6.

Maximum autem in omni lingua progreſſum fecerit, qui ex more regionis intelligibili, ipſa elementa pronuntiare, dicere, ac nativum verborum ſonum exprimere noverit. Sic legimus *in lib. Iud.* 12. 6. Galaaditas detexiſſe hoſtes Ephratæos eoſque trucidaſſe, quòd neſcirent pronuntiare verbum *Schib-*
C *boleth*, quod ſpicam ſignificat; ſed dicerent *Sibboleth*. Quomodo apud Belgas certis dictionibus deprehenduntur illi, quos Uvalones vocant Flandricæ nationes, ut quas illi, etiamſi à teneris annis aſſueverint, juxta proprium ſermonis motum efferre nunquam valeant.

Græcæ linguæ litteratores eodem labore tenentur in pronunciatione ſuarum litterarum, ut liquet ex inſtitutionibus primis eorum, quæ paſſim extant. Neque omittam referre verſus, quibus *Quintianus Stoa*, breviter pronuntiationem & formationem literarum deſcribit, cum ait:

A *Sub directo memorabilis oris hiatu eſt.*
B *Simul incluſis profertur utrinque labellis.*
C *Linguam adpulſos compellit utrinque molares.*
D *Cogit ſuperos linguam contingere dentes.*
E *Paulum preſſa profertur gutture lingua.*
F *Labrum inferius ſuperis cum dentibus urget.*
G *Damus, extremum cum tangit lingua palatum.*
H *Oritur tractis cum ventus faucibus halat.*
K *Fauces formant media cum parte palati.*
D L *Facit extremum contingens lingua palatum.*
M *Quum fit, preſſum premitur per utrumque labellum.*
N *Lingua adpulſa collidit litera dentes.*
O *Venit, exoritur cum ſpiritus ore rotundo.*
P *Datur eruptis ter litera quinta labellis.*
Q *Fit in appulſu cum ſtringimus ora palati.*
R *Facit, ut ſupero criſpetur lingua repulſu.*
S *Cum fit, peragit colliſo ſibila dente.*
T *Linguæ impulſu contactis dentibus exit.*
V *Facit os ſtrictum, ſi pomula labra fatigat.*
X *Reddit quidquid C atque S formare videmus.*
Y *Pſilon apprenſis labris procedere iuſtum eſt.*
Z *Eta ſepulchrales imitatur concita dentes.*

Quæ omnia ſi benè perpendantur, referunt, uti diximus ſupra, maxima ex parte Hebræarum literarum prolationem, non minùs quàm ipſi characteres Latini, & Græci formam earundem.

Accedunt etiam propemodùm omnium gentium literarum figuræ, maximè perfectiores, Græcæ, Latinæ, Gallicæ, Germanicæ, ad Hebræas.

Fuerunt tamen aliæ gentes, quæ vel aliquas addiderunt, vel E
alias figuras adinvenerunt ex conſenſu receptas.

Tradit *Corn. Tac. lib.* 11. *Annal.* de Claudio Cæſare: Ac novas, inquit, literarum formas addidit vulgavitque, comperto Græcam literaturam non ſimul cœptam abſolutamque. Primi per figuras animalium Ægyptii ſenſus mentis effingebant, & antiquiſſima monumenta ſaxis impreſſa cernuntur, & literarum ſemet inventores perhibent; inde Phœnicas, quia mari præpollebant, intuliſſe Græciæ, gloriamque adeptos tanquam repererint, quæ acceperant. Quippè fama eſt, Cadmum claſſe Phœnicum vectum, rudibus adhuc Græcorum populis, artis ejus authorem fuiſſe. Quidam Cecropem Athenienſem, vel Linum Thebanum, & temporibus Trojanis Palamedem Argivum memorant ſexdecim literarum formas, mox alios, ac præcipuè Simonidem cœteras reperiſſe. In Italia Etruſci à Corinthio, Aborigines Arcadæ ab Euandro didicerunt. Eæ formæ literis Latinis, quæ veterrimæ Græcorum. Sed nobis quoque Punicæ fuere primùm, deinde additæ ſunt. Quo exemplo Claudius tres literas adjecit, quæ uſu, imperitante eo, poſt obliteratæ, aſpiciuntur etiam nunc in ære publicandis plebiſcitis per fora ac templa fixo. F

LITERARUM NOTÆ, ET FIGURÆ

COMMUNES.

Plerique veterum ad ſcribendi celeritatem, certarum notarum, aut ſigillorum figuras loco literarum adhibuerunt.

Sic Mecœnas dilectiſſimus Octaviano, primus ad celeritatem ſcribendi notas quaſdam literarum excogitavit, quam rem Aquilæ liberti miniſterio, multos docuiſſe, refert *Dion. Caſſius lib.* 35. *hiſt.*

Quia autem illa ſigilla, ſive ſigla per contractionem, non intelliguntur ab omnibus, non minùs quàm illa, & cætera Notariorum, vulgaria etiam non ſunt, ut innuit *Cicero lib.* 13. *ad Atticum ep.* 32. Quod ad te, inquit, de decem legatis ſcripſi, paràm intellexiſti: credo, quia διὰ σημείων ſcripſeram, &c.

Sunt & quædam inter literas literæ ſolæ ſigna plurium intelligendorum, & in myſteriis, & apud Notarios, ut litera Y, Py- G
thagoræ habebat ſymbolum vitæ.

JUSTINUS Martyr literam X, Latinam continere myſterium crucis monet, Platonemque vocans in teſtem de filio Dei diſſerentem in *Timæo*, Deum in mundum inſtar X, poſuiſſe. Chriſtus α & ω, pro principio & fine, ſine principio, & fine. Apud *Ezechielem* ſignum ſalutis litera, T. Apud Græcos ϑ. nigrum ϑῆτα, mortis, in judiciis A. ſignum abſolutionis, C, condemnationis. N. L. non liquere, dum ſortium judicialium calculis impreſſa in urnam mittebantur.

Ideò Juſtinianus prohibuit olim uti talibus ſigillis, vel ſiglis in tranſcribendis Legibus, ne daretur occaſio errandi illis qui non æquè illa intelligerent, ut habetur *in l.* 1. *§.* 8. *illud autem, de veteri iure enucleand.* C.

Certè magis ad memoriam juvandam conducunt figuræ literarum communes, quàm ſigna illa quæ ſub abbreviaturis multa complectuntur. Quemadmodum *apud Eurip. in Theſeo* Paſtor quidam literarum imperitus, Theſei nomen pictum ſignificat vel exprimit.

Cum literarum imperitus ipſe ſim H
Dicam figuras, ſignaque evidentia.
Θ *Eſt circulus torno velut factus benè,*
Signumque habens in ventre, quod clarè patet.
Η *Binas ſecunda forma lineas tenet,*
Diſpeſcit has medio incidens mox altera.
Σ *Cincinnus inde tortus ipſa tertia.*
Ε *Subit figura quarta recta linea,*
Tres incidentes dividunt hanc lineæ.
Λ *Quintam minus promptum ſit ipſam dicere,*
Sunt differentes lineæ inter ſe duæ,
Quæ conveniunt omnes ſimul in unam baſim.
Μ *Extrema differt nil figura tertia.*

Athenæus lib. 10. *Dipnoſoph.* refert ſimiles literarum deſcriptiones ex Agathone Tragico in Telepho, ex Theodecte, Phaſelite, & aliis.

Iuſtinianus rurſum ſtatuit, ut poſt literas ab antiquis uſurpatas pro annorum numeris, veluti C, vel D, vel V. &c. aliæ ſubderentur communes, & omnibus notæ, quæ legi ab omnibus

nibus